PET. IOAN. NVNNESI

DE STVDIO PHILOSOPHICO,

SEV

De recte conſiciendo curriculo Peripateticæ Philoſophiæ, deque docentis ac diſcentis officio

CONSILIVM,

Sex capitibus comprehenſum.

Subiungitur SEBAST. FOXI de ratione Studii Philoſophici libellus.

Bibliothecae Secr. Coll. Rom. Soc. Iesu



BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

LVGDVNI BATAVORVM
Apud IOANNEM DIEPHORST.
CIƆ IƆC XXI.

Digitized by Google

Stvdiose Lector.

EGregij & pleni humanitatis ſunt verſus Ennij Poëtæ apud M. Ciceronem,

Homo qui erranti comiter monſtrat viam
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit,
Nihilominus ipſi lucet cum illi accenderit.

Miſera enim res eſt hominem locorum viarumque ignarum oberrare, ita vt non ſciat

— ὅπῃ ζόφος, οὐδ᾽ ὅπῃ ἠώς.

Ideoque veteres Hermas & ſemitales Deos paſſim ad viarum divortia itinerum indices collocabant, & in publicis execrationibus Græcorum is quoque continebatur, qui alteri non recte monſtraſſet viam. Sane non minus laudanda eſt illorum humanitas, neque minus de publico bono bene merentur, qui in tanta mortalium ignorantia, tantoque liberalium artium & veræ ſapientiæ contemtu atque confuſione, antiquam & ſeveram diſcendi docendique legem ex Scholis & Academijs exulantem in uſum revocant, & iuventuti veram ſtudiorum rationem indicant, rectamque viam monſtrant, qua peruenire poſſint ad

Edita doctrina ſapientum templa ſerena.

Et cum in omni ſtudiorum genere graviſſime hoc tempore peccetur, tum in Philoſophiæ ſpacijs impeditiſſimis decurrendis quam maxime plerique omnes impingunt. adoleſcentes enim dum ad præcipitata nimium vota properant, ocio & labori ſuo conſulturi, eam doctoribus legem præſcribunt, vt breviſſimo compendio ad ſcientiarum adita perducantur, neque vllos laborum gradus fieri volunt. præceptores vero ne artificiũ pereat,

neve ſoli in ſcholis relinquantur, neceſſe habent cum inſanientibus furere, & animos juvenũ, non ſeuera optimorum auctionum lectione mitigatos, nulliſque ſapientiæ præceptis compoſitos, nugalibus quibuſdã theorematibus, & puerilium iſagogarũ commentationibus detinent atque atterunt: qui poſtea nullo neque frugis neque operæ probæ libro perlecto, inanem ſcientiæ perſuaſionem induunt, & abunde ſe laboris precium feciſſe exiſtimant, ſi ſyllogiſmorum captionumq; dialecticarũ laqueis ſtrepentes vulgo ſint admirationi. Huic adulto ſæculi noſtri morbo complures præſtantiſſimi viri remedium adhibere conati ſunt, quorum ſcripta doctorum manibus teruntur, inter quos vel principe loco ponendus eſt PETRVS IOANNES NVNNESIVS VALENTINVS, vir accuratiſſimę eruditionis, & ſapientiæ, atque eloquentiæ laude veteribus quoque comparandus. Cujus conſiliũ de Philoſophiæ ſtudijs, quod nunc damus, cũ adjuncto de Ariſtotelis vita eruditiſſimo libello, olim cũ aliis ejuſdem viri ſcriptis ex Hiſpania attulerat Clariſſimus & humaniſſimus AND. SCHOTTVS, vir omnibus nominibus optime de ſtudijs meritus, & ſua manu diligentiſſime emendatos ante biennium edendos tranſmiſit principi hujus Academiæ viro D. HEINSIO, cũ omnibus SEBASTIANI FOXII operibus, quæ brevi itidẽ, vti ſpero, lucem videbunt. Hoſce libellos cum legendos mihi impetraſſem, Typographo eos iterũ excudendos communicaui, vt in ſtudioſorum manibus verſarentur, ad quos ſummam ex ejus lectione vtilitatem redundaturam certo ſcio. Vale.

Reve-

Reverendiſsimo

GASPARI PVNTER,

Epiſcopo Dertuſano,

PETRVS IOANNES NVNNESIVS

Valentinus,

S. D.

SVperioribus annis, cum Barcinone Valentiam revertiſſem; Clariſsime Epiſcope, interfui ſæpe eruditiſsimorum

hominum , cuius modi multos illa ſchola ſemper extulit , ſermonibus ; quibus vehementer querebantur , omnia ſtudia bonarum Artium apud illos , ac præſertim Philoſophiæ , non ſine communi omnium Artium detrimento , iampridem jacere ; quærendamque aliquam rationem dicebant , qua tanto malo poſſet ſubveniri , & præſertim in ſtudijs Philoſophiæ : cuius ignoratione verebantur , ne pauci , licet frequentes eo convenirent , in ſtudijs Medicinæ , & Theologiæ , quæ ibi tanta celebritate nominis , & famæ jamdiu floruerant , proficerent. Commemorabant eorum , qui curſum ſtudiorum Philoſophiæ cœpiſſent , alios vix è carceribus emiſſos , alios

medio

medio ſpatio conſtitiſſe, aut deſperatione percipiendi Philoſophiam, alio curſum ſuum flexiſſe: ſiqui calcem vidiſſent, cuiuſmodi paucos eſſe affirmabant, à calce ad carceres pleroſque ſuaſu eruditorum hominum fuiſſe revocatos: quod rudes adhuc, & ignari Philoſophiæ exiſtimarentur: culpamque eius rei partim doctoribus, partim diſcipulis aſcribendam eſſe: illis quod vix, ac ne vix quidem decimam partem præceptionum Philoſophiæ ſuis auditoribus traderent, eoſque & prolixis, & inutilibus diſceptationibus iuſto longius, & diutius remorarentur: his, quod præpropera feſtinatione exitum magis, & inſignia, quam intelligentiam Philoſophiæ ſpe-

(:) 4 *ctarent,*

ſtarent, neque ut par erat, in ſingulis eius partibus exercerentur. Reuocabant porro illud in memoriam, curriculum Philoſophiæ integrum, & omnibus ſuis partibus abſolutum cum acceſſione etiam Poëticorum, & Rhetoricorum Ariſtotelis à me Cæſaraugustæ decurſum fuiſſe: ex illiſque ſpatijs, vt ijs videbatur, clariſſimos viros non ſolum in ſtudio Philoſophiæ, ſed in alijs quoque artibus euaſiſſe: vt præter ceteros I. V. peritiſſimos PVNTERIOS *fratres, alterum Epiſcopum nunc Dertuſanum, alterum Archidiaconum Aureolenſem, Theologiæque ſcientiſſimos Priores illos, pietate inſignes Cæſarauguſtanos Franciſcum Duarium, & Bartholomæum*

Lau-

Laurentium: medicinæ autem callidiſſimos Franciſcum Lopeſium Carenſem, & Galcerandum Eſclergium Tarraconenſem: qui prematura morte magnum ſui poſteris deſiderium reliquerunt, atque duo illa lumina humaniorum artium, & omnis litteraturæ politioris Iohannem Marcum Archipresbyterum Darocenſem, & Pætum illum omnium acutiſſimum Ilergavonenſem. Hac commemoratione urgebar ab illis tum vehementer, ut rationem, quam & in docendis & in exercendis meis auditoribus ſecutus eram, illis quam planiſſime fieri poſſet, demonſtrarem. Ego illos ad veteres Peripateticos, illorumque inſtituta rejiciebam: illi contra inſtabant, non

(:) 5 *omnia*

omnia uno loco apud illos collecta, quæ ad illud argumentum pertinerent, poſſe reperiri, me, qui multa, eáque aſſiduo ſtudio, longoque temporis interuallo obſeruaſſem, poſſe illa facile cum multis communicare: & , ut planius ab ijs, qui rebuſpublicis præpoſiti eſſent, intelligerentur, patrio ſermone plane deſcribere. ita, cum anguſtius ab illis premerer, quorum nec auctoritati, neque voluntati vllo pacto refragari poteram; teneri non potui, quin hoc illis, ſero quidem, ac pœne perinuitus, concederem; ea duntaxat conditione, ut Latina quidem oratione, licet ad quotidianam fere ſermonis ſcholarum conſuetudinem demiſſa, ſingula per

ſeque-

ſequerer. Et quoniam Tu, Epiſcope Clariſſime, princeps teſtium noſtræ illius induſtriæ, & fructuum, qui ex illa percepti fuerunt, & merito quidem, exiſtimaris; Tibi potiſſimum hoc opus deberi, & deſpondendum eſſe exiſtimaui: vt tali, tantóque teſte, ſi qui fortaſſe dubitant, fieri ne poſſit, vt tam longus curſus, & commodo auditorum intra quadriennium conficiatur, erubeſcant; neque hiſcere in poſterum audeant. Mitto exemplum clariſſimum Hermolai Barbari viri eruditiſſimi: qui cum à Græcis illis ſapientiſſimis, qui primi bonas artes Conſtantinopoli in Italiam aduexerant, Philoſophiam accepiſſet, intra idem temporis ſpa-

tium

tium omnia ſcripta Ariſtotelis ſuis auditoribus explananda ſuſcepit. Accipe igitur, ne te diutius teneam, Epiſcope Illuſtriſſime, benigne, ut ſoles, hoc munuſculum noſtrum tibi meritiſſimo debitum. Quod, ut auctius aliquando & ornatius prodeat, adiunxemus illi comitem non admodum ab eo diſcrepantis argumenti Vitam Ariſtotelis *ex veteri tralatione, nondum, quod ſciam, editam, non eleganter illam quidem Latine loquentem, ſed fidiſſime tamen Græca exprimentem, cum auctario noſtrarum in illam* Notarum. *Quæ ſi tibi probari animaduertero, maiora, & grauiora, ſi quæ tamen eiuſmodi à me expectari poſſunt, propediem tuo nomine tanquam τηλαυ-*

γεῖ

γεῖ προσώπῳ, vt Pindari illud uſurpem, inſignia apparebunt. Vale lumen Eccleſiæ clariſſimum. Barcinone. A. D. XIX. Kal. Februarij. Anno à Chriſto nato.

M. D. LXXXXIV.

IN-

INDEX

Capitum ſex Curriculi Philoſophici.

Cap.1. *De Philoſophiam diſcentis officio.*
Cap.2. *De docentis Philoſophiam munere.*
Cap.3. *Qui potiſſimum Ariſtotelis libri & qua ratione explanandi.*
Cap.4. *Quo ordine ſingula explicanda.*
Cap.5. *De optimo interpretandi Ariſtotelem genere, ejuſque ſpecimen: Explicatio in caput primum lib.1. Ariſtotelis de Interpretatione.*
Cap.6. *Quibus exercendi Philoſophiæ auditores.*

PET.

PET. IOAN. NVNNESI Valent.

DE RECTA ATQVE VTILI RATIONE

conficiendi curriculi Philoſophiæ

PROOEMIVM,

De ſex capitibus quibus hac diſputatio abſoluitur.

QVÆRENTI mihi qua ratione curriculum Philoſophiæ recte, & cum aliquo eius ſtudioſorum commodo confici poſſit, ſex capita occurrunt, quæ videntur accurate in Gymnaſijs præſtari oportere.

Primum, ne quivis è vulgo auditorum ad ſtudia Philoſophiæ admittatur, niſi is, cujus ingenij, induſtriæ, ac cæterorum ornamentorum cum naturæ, tum ſtudij, & eruditionis periculũ prius ab erudito, & probo viro factum fuerit. Quod à Pythagora, Socrate, Platone, Xenocrate, Ariſtotele, & alijs clariſsimis Philoſophis diligenter

genter obſeruatum fuiſſe accepimus.

Secundum, ne integrũ ſit cuilibet magiſtro è triuio Philoſophiã docere, ſed ei tantũ, qui illis ornamentis inſtructus fuerit, quæ in optimo doctore Philoſophiæ à priſcis, & præſtãtiſſimis Philoſophis deſiderari ſolebãt.

Tertium, vt prouideatur, accurate, quot artes ſeperatim, & qua facta acceſsione tradendæ ſint, ne quid ad integrã, & cumulatam Philoſophiæ cognitionem deſiderari poſſe videatur.

Quartum, quo ordine cum ſingulæ artes, tum illarum membra doceri debeant: vt ſeries totius Philoſophiæ perpetua, & certa in commune, & ſeparatim ſibi conſentiat.

Quinctum, qua ratione, & via magiſter ſingula docere debeat; vt ea, quæ didicerint, magno uſui auditoribus eſſe poſsint.

Sextum, atque extremũ, quæ genera exercitationum adhibenda à ſtudioſis Philoſophiæ, vt ſuorum laborum fructus ferant magnos, & vberes.

SVM-

SVMMARIVM

CAP. I.

De diſcentis Philoſophiam Officio.

1. *ACroamatica & Exoterica Ariſtotelis ſcripta.*
2. *An Ariſt. Ethicorum libri acroamatici.*
3. *Rhethorici, Poëtici, Topici libri & Elenchi an acroamatici.*
4. *Syntagmatici libri Ariſtot.*
5. *Qui libri acroamatici & exoterici.*
6. *Quæ in Acroamaticorum auditore requirat Ariſtoteles.*
7. *Quattuor ſpectanda eſſe: primo, ingenium & iudicium.*
8. *Memoria ſub ingenio comprehenſa eſt neceſſaria.*
9. *Studium veritatis ardens ſecundo requiritur.*
10. *Qui ad Philoſophiæ ſtudium hortati ſit.*
11. *Ariſtoteles inprimis hortator.*
12. *An Galeni liber ſit de ſtudio medicinæ.*
13. *Tertio Laboris aſſiduitas.*
14. *Hypomnematici libri & qui.*
15. *Eloquentes reddebat Ariſtot.*
16. *Παιδεία id eſt, eruditio elementorum & huc pertinentia quarto requiritur.*
17. *Grammatica & Grammatiſtica.*
18. *Mathematicæ ſcientiæ.*
19. *Critici hoc eſt Grammatici.*
20. *Cur Mathematicæ primum docendæ.*
21. *Ariſtot. quid de Rhetorica ſenſerit.*

22. *In elementis eruditionis artes & auctores varij.* { *Grammatici,* *Rhetorici,* *Mathematici.*

23. *Academiarum in magiſtris Philoſophiæ creandis Iudicium.*

24. *Iuriſprudentia Ethices praxis.*

25. *Quibus inſtructi ad Philoſophiam aduolare poſſint?*

26. *Cur Mathematicæ primo neceſſariæ ſup. 20.*

27. *Logicæ vtilis eſt Mathematica.*

28. *Hiſtoriæ cognitio neceſſaria.*

29. *Cur Mathematicis primo pueri imbuerentur.*

30. *Experimento id comprobatum.*

31. *Logiſtica Logicam iuuat.*

32. *Geometria Logicæ perutilis.*

33. *Analogiæ ratio.*

34. *Methodus analyſeos & contraria compoſitionis.*

35. *Analytica Logicæ Mathematicas eſſe neceſſarias.*

36. *Ioan. Bapt. Monlorij Philoſophi laus.*

37. *Topicæ Logicæ parti vtilis eſt. Item Hiſtoria & exempla.*

38. *Topica cur hodie neglecta.*

39. *An Rhetorica poſt Dialecticam diſcenda.*

40. *Diuerſæ definitiones Logicæ aliarumque artium.*

41. *An Logica præmittenda ſit Rhetoricæ.*

42. *Poëticane præmittenda Rhetoricæ.*

43. *Poëtica quando & quomodo facilis.*

44. *Quo ordine artes diſcendae ante Philoſophiā.*

45. *Platonis Dialogus* ἀντερασταὶ rivales *eius praeceptor Dionyſ. Grammat.*

46. *Oenopi-*

46. *Oenopides Mathematicus.*
47. *Ordo diſciplinarum apud Sex. Empiricum.*
48. *Rhetoricam poſt Grammaticam docendam.*
49. *Hippocrates Rhetoricæ præmiſit Philoſophiæ.*
50. *Antiſthenes quoque atque adeo Ariſtoteles.*
51. *Romani quoque Philoſophi, Papirius Fabianus, Taurus & Perſius Poëta.*
52. *Mathematicas Platonici ante Phyſiologiam tradebant, poſt illam vero peripatetici.*
53. *Aliorum Peripateticorum opinio.*
54. *D. Thomæ Aquinatis ſententia expenditur.*
55. *Diſcant pueri primo Grammaticam; hinc è Mathematicis Arithmeticam, mox Poëticam, Hiſtoriam, & Rhetoricam.*
56. *Quare Ariſtot. horis Pomeridianis Rhetoricam docuit.*
57. *An artes illæ perfecte diſcendæ.*
58. *Hauriant quantum ſatis eſt.*
59. *De Muſica.*
60. *In Rhetoricis Hermogenis Methodus præfertur Ariſtotelea.*

De
RECTE CONFICIENDO PERIPATETICÆ PHILOſophiæ curriculo,

Cap. I.

Quæ requirantur in eo, qui Philoſophiam utiliter diſcere velit.

EXplanatores Græci Ariſtot. in præfatione comment. ad Categorias, multa de hoc argumento diſputant: ſed quoniam apud A. Gellium lib. xx. cap. 4. legimus, quæ Ariſtòt. poſtularet ab eo, qui Philoſophiæ operam daturus eſſet, præſtat illa magiſtro Ariſtotele, quam ex ejus Interpretum ſententia cognoſcere: præſertim cum hac ætate omnes ſcholæ ſolam pœne Ariſtot. diſciplinam profiteantur. A. Gellius igitur docet quattuor res ſolitum Ariſtotelem flagitare ab eo, qui ejus ἀκροαματικὰ diſcere vellet. Sed quia alia quoque erant ejus ſcripta, quæ ἐξωτερικά appel-

appellabat: neque omnium conſentiens eſt de acroamaticorum numero, & quæ eſſent, ſententia, videndum principio, quæ propria illorum nota eſſet, vt vere de hac diſputatione exiſtimare poſſimus.
Acroamatica itaque, vt veteres Peripatetici docent, ea cenſebantur, in quibus artes rationibus neceſſarijs (cujuſmodi illæ Mathematicorum erant) docebantur. Ob quam etiam cauſam ea ſolis germanis auditoribus à veteribus Peripateticis tradebantur: à quibus & nomen accepiſſe videntur, & matutino tantum tempore, quod Muſis gratius eſſe omnes atteſtantur. In Exotericis vero probabilibus rationibus eadem Peripatetici confirmabant, & tempore quidem veſpertino, ad eaque cognoſcenda vulgus etiam auditorum admittebant. His ita conſti- 1.
tutis Plutarchus grauis inprimis philoſophus in Alexandro, & A. Gellius negant libros Ethicorum, & Politicorum acroamaticos eſſe: ſed quo jure non video: cum in illis Ariſt. Philoſophiam Moralem exquiſitis demonſtrationibus quantum patitur rei natura, perſequatur. Itaque idem Ariſt. in illis ſæpe nos ad Exoterica ejuſdem argumenti ſcripta reijcit, quaſi ea, quæ illis ipſis continentur, acroamatica eſſe exiſtimet. Alexand. quo- 2.

A 3 que

que certiſſimus Ariſtot. interpres libro primo Com. in Top. acroamaticos illos libros eſſe voluit: quem ceteri Græci explanatores ſequuntur. Et vero M. Tullius 5. de Finib. Quanquam negari illud non poteſt, ſi cum reliquis partibus Philoſophiæ conferantur, minus acroamaticos eſſe: cum demonſtrationes illorum infirmiores ſint propter mores, & inſtituta Rerumpublicarum, quæ locis & tem-
3. poribus ſæpe multum variant. Negat porro idem A. Gellius libr. Rhetoricorum, atque Elenchorum in acroamaticis numerari poſſe: propter quam etiã cauſam neque Topicorum libr. qui ejuſdem notæ ſunt, atque Elenchi, neque Poëticorum, qui gemini ſunt illis Rhetoricorum, in eum cenſum idem retuliſſet. Alexander quoque diſerte inficiatur Top. & Rhetoricorum libr. acroamaticos eſſe: & vere quidem. Etenim in illis omnia libr. 1. Top. τύπῳ & pingui Minerua explicantur, vt ille ipſe Ariſtot. fatetur, ac præſertim illa, quæ ex Philoſophia Morali in vtriſque repetuntur. Idem plane de Poëticis, atque Elenchis judicandum. Ammonius tamen, & Simplicius hos ipſos ad Acroamaticos reuocarunt: confundentes nimirum Syntagma-
4. ticos cum acroamaticis. ſunt enim hi

libri

libri perpetua ſerie ſcripti; quæque ad vnum ſcopum pertineat, & genere di-ctionis apto ad artes tradendas, quæ notæ traduntur Syntagmaticorum. Non ſunt tamen exquiſitis demonſtrationibus (quales illæ Mathematicorum) contexti. Nam licet in Rhetoricis ponantur ab Ariſtot. multæ definitiones, vt *Beatitudinis*, & partium illius, atque *boni*, ex illiſque tanquam ex initijs concluſiones eliciantur, tamen illæ definitiones non ſunt exquiſitæ, vt idem docet, ſed leues, & probabiles. Concludamus igitur paucis totum hunc locum: 5.
in Acroamaticis collocabantur à Peripateticis libri vtriuſque partis Philoſophiæ, quales, qui hac ætate ſuperſtites ſunt: in quibus explanandis multum operæ, & ſtudij veteres Interpretes adhibuerunt: & libri præterea *Analyticorum*, atque ejus partis Logicæ, qui inſtar elementorum Analyticos antecedunt, in quibus de Categorijs, atque Enunciatione diſputatur. Hæc itaque docebat Ariſtot. ſuos legitimos auditores horis antemeridianis antequam vngeretur, vt ſcribit Laërt. Pomeridianis vero quoſuis è vulgo auditores in ceteris exercebat, vt in Poëticis, Rhetoricis, atque in Exotericis vtriuſq; partis Philoſophiæ, ac

præſertim in Moralibus & Ciuilibus quæ & fructuoſiora ſunt vitæ humanæ, & magno vſui eſſe poterant ad reliqua, vt ad Rhetorica, & Topica exercenda. Sed vt ad id, quod inſtituimus, redeamus, quat-
6. tuor res flagitabat Ariſtot. à germano Acroamaticorum auditore. Erant autem hæ: *ingenium, ſtudium in diſcendo, atq; labor, & Elementa eruditionis*. Sic & Pythagoras adoleſcentes, qui ſe ad diſcendum, vt inquit A. Gellius, obtulerant, à principio ἐφυσιογνωμόνει, id eſt vultum, & ſpeciem totius eorum corporis attente conſiderabat, vt ex eo conijceret, eſſent ne idonei, vt ad Philoſophiam reciperentur. quos enim cernebat ineptos ad id ſtudium eſſe, non patiebatur
7. operam apud ſe perdere. 1. In *ingenio* vero illa ſpectanda videntur: primum vis ea, qua res propoſitæ facile percipiuntur, cui vulgo proprie nomen ingenij tribuimus: deinde altera vis gravior judicij, ac præſertim illa, qua, quæ per ſe nota, quæque non ſunt per ſe nota, dijudicat. Hac parte judicij nulla præſtabilior ad veritatis inveſtigationem, quæ philoſopho potiſſimum propoſita eſt. Etenim ea fit, vt in ijs, quæ per ſe nota ſunt, probationem non requiramus: vt in illis Axiomatis: *Omne totum majus eſt ſua parte. Bonum*

omnia

omnia expetunt, ad cętera probationes conquiramus, & præſertim ex illis, quæ per ſe perſpicua, atque euidentia ſunt, petitas. Memoria quoque Ingenio ſubij- 8.
citur auctore Cicerone: quæ pars, etſi neceſſaria ſemper eſt habita ad omnes artes cognoſcendas, nullo tamen ſæculo magis, quam illo veterum Philoſophorum. nam cum illi Philoſophiam non ex ſcripto, ſed memoriter, & methodo docerent (quam rationem docendi demonſtrat Plato in Phędro multo altera meliorem eſſe,) oportebat auditores memoria bona à natura donatos eſſe, aut certe eam magno ſtudio colere, cum ſcriptis confidere, (vt hac ætate) non poſſent: ac ſi quæ ſcripta ederentur, tantis tenebris breuitatis opprimerentur. vt nutus verius, vt ait Galenus, viderentur, quam pręcepta: quod ijs traderentur, qui illa antea audiſſent, quique Mathematicarum, & aliarum artium cognitionem ante perceptam attuliſſent. 2. Altera pars, quæ 9.
poſtulabatur ab Ariſt. erat *ſtudium*, non illud quidem quæſtus, nec ambitionis, (quo Sophiſtæ ejus ætatis flagrabant,) ſed ſtudium ardens veritatis. cujuſmodi eſt illorum, qui cauſam ſemper aut rationem conquirunt, nec vnquam conquieſcunt, niſi cognita cauſa, cur ipſi, aut alij

quicque faciant, aut dicant. Pythago-
10. ras quidem multis vtebatur cohortatio-
nibus: quibus auditores ſuos ad ſtudium
Philoſophiæ inflammabat: quales legun-
tur multæ apud Iamblichum de ſecta Py-
thagoreorum. Idem monet Plato in Eu-
thydemo faciendum eſſe. Et vero Ariſt.
11. orationem ediderat, qua Timoleontem
regem Cypri, vt ait Stobæus, ad ſtudium
Philoſophiæ cohortabatur. Alexand. au-
tem Aphrodiſ. lib.2. com. in Topic.me-
minit ejuſdem, aut alterius orationis A-
riſtot. ejuſdem argumenti, & Laërt. quo-
que in Catalogo ipſius librorum, atque à
Theophraſto aliam editam commemo-
rat,quę in eodem argumento verſaretur.
Hos imitatus Galenus compoſuit oratio-
12. nem, qua ſuadet ſtudiũ Medicinæ:quan-
quam multi negant illius auctorem Ga-
lenum fuiſſe. D. tamen Hieronymus
aduerſus Iouinian. illam Galeno adſcri-
bit. 3. Tertium caput, quod Ariſt. de-
13. ſiderat in germano auditore Philoſophię,
erat *laboris aſſiduitas*. neque mirum. Ete-
nim cum Ariſtotel. ad ſingulas partes
Philoſophiæ poſtularet in auditore co-
gnitionem Hiſtoriæ illius partis (vt poſt
intelligetur,) quales ſunt Hiſtoriæ *de*
animalibus, *&* *plantis*, non poterat il-
14. lud ſine magno labore præſtari. Solebant
præ-

præterea Peripatetici illi veteres, vt tradit Ammo. ſiue Philop. in Com. Categ. ad intelligendam perfecte quanque artem, antea conficere ſibi *Libros Hypomnematicos* (ſic enim appellabant) in quos veterum, qui illos anteceſſerant, ſententias de quaque re conferebant, adjunctis & rationibus quibus illas confirmarent, atque etiam aliquando illarum confutationibus, in quibus libris multum erat ſtudij, & diligentiæ collocandum. Ejuſmodi videtur eſſe libellus Ariſtot. qui vulgo circumfertur, *de Zenone, Xenophane, & Gorgia.* Ejuſdem notæ ſcripſerat libr. idem *de Rhetorica,* vt obſeruat M. Tullius in Dialogis de Oratore. Eodem referendæ videntur Hiſtorię Arithmeticæ Theophraſti, & Hiſtoria Aſtronomica, atque altera Geometrica Eudemi: cujus frequens mentio apud Proclum, & Simplicium, & libri illi ſex *Menonis de Medicina,* diſcipuli item Ariſtot. quorum meminit Galen. in Com. Hippo. de Nat. hum. Poſtremo, 15.
cum Ariſtot. ſuos diſcipulos eloquentiſſimos redderet (vt ait Strabo) opus quoque erat ad eam item facultatem comparandā magno ſtudio, & labore. 4. Quar- 16.
tum caput quod Ariſt. in diſcipulo futuro Philoſophiæ requirebat, notatur nomine

nomine *Elementorum eruditionis*.. Cujus
nominis notioni ſubijciebatur, vt ſuſpi-
cor, prima inſtitutio artium liberalium,
non tam primi illius gradus ſtudiorum,
cujus idem meminit lib. 8. Politic. quo
docebantur Grammatiſtica, Gymnaſti-
ca, & Muſica cum Picturæ acceſſione,
quam alterius politioris, quam Galen.
multis in locis communem, & vulgarem
Græcorum nominat: ad quam pertine-
bant Grammatica, Rhetorica, & Mathe-
maticæ, vt idem annotat. atque Sex. item
Empiricus, & alij. Ac de *Grammatica*
17. quidem nemini dubium: quanquam Pla-
to, & Ariſt. nomine illius fere eam acci-
piant, quæ poſt grammatiſtica proprio
nomine fuit vocata ab Aſclepiade. Sic
enim Ariſt. lib. 6. Topic. Grammaticam
definit *ſcientiam legendi, & ſcribendi, quod*
18. *dictatum eſt*. Nam de Mathematicis, quod
ad inſtitutionem primam ſpectarent, ſa-
tis liquet ex Poëtis antiquis, vt ex Ari-
ſtophane, & alijs, Æſchine item, & Xeno-
crate, & alijs. Plato ſiquidem lib. 7. de
Leg. præcipit, vt Mathematicæ ante Phi-
loſophiam diſcantur, lib. vero. 7. de Rep.
appellat illas cum proœmia dialecticæ,
tum προπαιδείας quaſi dicat, *primam inſti-*
tutionem, aut elementa eruditionis: idem enim
vtrunque valet. Idem etiam Plato in fo-
ribus

ribus ſui Gymnaſij nobile illud dictum
proſcripſerat οὐδεὶς εἰσίτω ἀγεωμέτρητος
quaſi dicat, *nemo huc ingrediatur expers Geo-
metriæ*, id eſt, artium Mathematicarum
rudis. Æſchines item Socraticus in Axio- 19.
cho (ei enim Harpocratio & Laërtius il-
lum dialogum tribuunt, non, vt vulgus,
Platoni, aut Xenocrati) cum de miſeriis
vitæ humanæ diſputat, conqueritur pue-
ris præponi Criticos (ſic autem Gram-
maticos olim nominatos docent Dio in
orationibus, & Sex. Pyrrhonius lib. de
Grammatica,) ſolere, atque Geometras,
id eſt Mathematicos, poſt in Lyceum, &
Academiã mitti. huic finitima eſt illa ex-
poſtulatio Thaletis philoſophi apud Sto-
bæum de pueris, qui primum traduntur
ludi magiſtro, pædotribæ, Harmonico, &
pictori, deinde cum adultior eſt ætas, A-
rithmetico, & Geometræ. Xenocrates
autem auditor, & ſucceſſor ſecundus Pla-
tonis Mathematicas anſas Philoſophiæ
nominabat, quaſi, qui illas non tenerent,
operã in Philoſophia perderent, & quod
acerbius eſt, ſi qui illi tradebantur ad
Philoſophiam diſcendam Mathematica-
rum ignari, ad carendas lanas, vt loqui-
tur Plautus, ab illo ablegabantur. Ariſt.
vero lib. 6. Nicomach. cauſam affert, 20.
cur pueri primum docendi Mathemati-
cas,

cas, non Phyſicam, neque ſapientiam, multo vero minus Philoſophiam Moralem, vt idem libr. 1. Nicomach. demonſtrat. Ita Galen. ſcribit ſe cum Mathematicas probe à parente domi didiciſſet, ad Dialecticam, & Philoſophiam diſcendam acceſſiſſe, expertumque ſæpe eſſe, quantum præſidij Mathematicæ artes ad Philoſophiam recte intelligen-
21. dam afferrent. Quod ſi quis objiciat Ariſtot. eodem tempore Philoſophiam matutina deambulatione, & Rhetoricam Pomeridiana docuiſſe, dicam illud feciſſe non tam quod in ea hæreſi eſſet, quam æmulatione Iſocratis ſummi Rhetoris commotum, vt M. Tullius, & Quinctil. referunt. Nam & ipſe Ariſtot. lib. 3. Rhetoricarum artium, diſertim profitetur, præcepta de Elocutione ad omnes artes docendas neceſſaria fere eſſe, exceptis ſcilicet Mathematicis: de quibus vere Manilius: *Ornari res ipſa negat, contenta doceri.* Quid? quod exordia, & epilogi, quibus in omni fere arte tradenda illi priſci ſcriptores vtuntur, non alio artificio, quam
22. Rhetorico præſtari recte poſſunt. Numeremus igitur in elementis eruditionis *Grammaticam, Rhetoricam, & Mathematicas.* Ita Philo ille Hebræus eruditiſſimus, multis

nultis in locis has eaſdem artes ἐν τοῖς προπαιδεύμασι, id eſt, prima inſtitutione, & in ancillis, & miniſtris Philoſophiæ recenſet. Idem obſeruarunt Clemens Alexandrinus in Stromate, Origenes in Philocalia, Syneſius in Dione, & alij Theologi: atque ex Philoſophis Sex. Chæroneus idem plane declarat ſex illis libris eruditiſſimis, quibus eas artes exagitat, quæ ante Dialecticam & Philoſophiam vulgo diſcebãtur. Porphyrius quoq; lib. 6. *de Hiſtoria Philoſophica*, auctore Tzetze in Chiliadibus in orbe diſciplinarum (κύκλον ille indigitabat) enumerat, *Grammaticam, Rhetoricam, & Mathematicas*: quibus veluti faſtigium, & apicem Philoſophiam adhibet. Has artes idem Porphyrius etiam egregie calluerat, vt docet Eunapius in ejus vita. Ex philologis vero Martianus Capella, in Satyrico ſuo *de nuptijs Philologiæ* ſuperioribus aſſentitur, imitatus Varronis, vt conjicere licet, libros *de Nouem diſciplinis*: quorum Vitruvius, Nonius, & alij meminerunt. Hoc ipſum ſpectauit & Caſſiodorus libellis illis ſuis *de orbe diſciplinarum liberalium*. Quod etiam ſecutus D. Iſidorus libris prioribus ſuarum Etymologiarum, ac, ne pluribus commemorandis moleſtior ſim, 23.

qui

qui primi in Scholas inuexerunt inſignia illa graduum, & honorum, quibus coho-
Baccalaureus à bacca lauri. neſtantur, quos illi voce Gallica *Batalliarios* appellant, magiſtri, & doctores, eandem ſententiam approbarunt, cum edicto ſanxerunt, ne quis in collegium doctorum Medicinæ, aut Theologiæ recipi poſſet, niſi qui Batallarius in ſeptem artibus liberalibus eſſet conſtitutus: neque Philoſophiæ doctor vllus renunciari poſſet, niſi qui ſeptem illas artes comites Philoſophiæ antea percepiſſet, ſuæque eruditionis in illis ſpecimen publice dediſſet, periculumque illius in batallariatu ab eruditis viris factũ diligenter fuiſ-
24. ſet. Idem de Iuriſprudentia cauendum, ſi ea, (vt vere innuit Ariſtot. in extremo Nicom.) nihil aliud eſt, quam praxis Philoſophiæ Moralis. Ex his perſpicuum
25. fit, omni ſæculo, & omnibus reliquarum artium liberalium profeſſoribus hanc ſententiam probatam fuiſſe communis inſtitutionis Græciæ, quam Ariſt. à ſuperioribus acceptam retinuerat, ne quis ad diatribas Philoſophiæ admitteretur, niſi ijs artibus eſſet primum inſtructus: *Grammatica* ſcilicet, atque illi attributis *Hiſtoria, & Poëtica, & Rhetorica*, atque *Mathematicis*. His præſidijs munitus Ariſtot. adijt Platonis ſcholam: vt ejus vitæ

tæ ſcriptores teſtantur. Noui non defuiros hoc loco, qui iactitent, ad Philoſohiam Ariſtotelicam, quam ſolam vulgo 26.
mnes profitemur, non eſſe neceſſariam lathematicarum cognitionem, quod meiini me aliquando inaudiſſe, præſertim in ogicis, vbi pro Mathematicis exemplis poni poſſunt aliarum artium exempla. Quod etiam ſi illis concederemus, negare ullo modo poſſent, quin libros de Cœlo Ariſtot. nemo omnino ſit percepturus accurate, niſi qui Aſtronomiam nouerit; neque diſputationes illas nobiles Meteorologic. *de Galaxia, cometis, de ventis, Iride, Parhelijs, virgis*, & alijs ejuſmodi: quæ ſine opticorum, & catoptricorum intelligentia nulla ratione poſſunt intelligi. Nam quid dicemus de prima Philoſophia? cujus diſputatio illa clariſſima de numero mentium tota pendet ex Aſtronomiæ cognitione: cum orbium eccentricorum, epicycliorum, & aliorum perceptionem neceſſario poſtulet. Iam vero in Ethicis quanti intereſt ad Iuſtitiæ diſtributionem rationem Arithmeticam analogiarum noſſe. Librum vero octavum Politicorum quis perfecte vnquam aſſequetur ignorata arte Muſicæ? Sed, vt ad 27.
Logicam Ariſtot. redeamus, vt exempla illius Mathematica cum aliarũ artium exemplis commutari poſſint, tamen ſatius eſt illa

retineri, ac præſertim in parte Analytica. Etenim cum Ariſtot. doceat lib 1. de Part. animalium ad quamque artem perfecte diſcendendam maximo adjumento eſſe cognitionem ejus Hiſtoriæ, vt ad ſcientiam de animalibus & plantis Hiſtoriam vtriuſque; Hiſtoria autem Analyticę, (quam ipſe ſcientiam demonſtratiuam diſerte appellat, in anacephalæoſi primæ Philoſophiæ) nuſquā planius cernatur, quam in demonſtrationibus Mathematicis, (quæ omnium artium humanarum certiſſimæ vere exiſtimantur) planum eſt Mathematicarum artium exem-
29. pla Analyticis eſſe congruentiora. Quas artes primo veteres docebantur, vt facilior illis aditus ad cæteras cognoſcendas pateret. Galen. ſane multis in locis ingenue fatetur ſe beneficio Mathematicarum in eligenda ſecta Philoſophorum non aberraſſe, ac veritatem plerumque in omnibus partibus Philoſophiæ, & Medicinæ, quæ alios fugiebat,
30. certo aſſecutum. Quod ipſe expertus ſum, breui commemorabo. Venit aliquando ad me vir quidam nobili loco natus, & in Mathematicis maxime verſatus, rogans, vt illum Logicam docerem, quod cum à me impetraſſet, mirabar quotidie quantum proficeret, quam facileque omnia diſceret, ſed cum ad Analytica præcepta ventum fuit, ſtupebam: tanta ingenij celeritate ſingula

gula non ſolum percipiebat, verum etiam præcipiebat: neque neceſſe erat exempla illi multa præceptionum proponere. Vix vnum illi ſubjiciebam, cum ipſe ſexcenta ex Euclide, & aliis Mathematicis ſuggereret. Ita breui, & expedite Logicam diſcebat, vt quod vix in Gymnaſijs intra dies decem paratur, ille vel vna tantum auditiuncula compararet. Sed quid de Logica tantum exemplum, non de cæteris artibus profeto? Noui alios, qui perceptis probe Mathematicis, ac præſertim Arithmetica, & Logiſtica, cæteras artes facillime aſſequebantur, (quorum etiam alij Latine neſciebant) judiciumque de quauis re propoſita faciebant certiſſimum, & ad quamcumque rem comprehendendam facillimi aditus ijſdem patebant. Ita intuenti mihi in illos illud Platonis ex 31.
libr. 7. de Repub. veniebat in mentem: qui natura facti ſunt ad Logiſticam, eos acumine ingenij ad cætera percipienda excellere; eoſque qui tardiuſculi ingenio eſſent, ejus artis exercitatione reddi acutiores. Alexander vero Aphrodiſ. libro 1. Priorum, docet contra Stoicos 32.
quam magno vſui ſit Geometria ad Philoſophiæ perceptionem. Nam cum à Geometris ea, quæ cum alijs conjuncta

cohærent,ita animi cogitatione ſeparentur, vt de ſingulis tanquam de natura quadam ab aliis diſcrepante diſputent,vt de *linea*,de *ſuperficie*; ſic & Philoſophi illa initia rerum naturalium, *Materiam* ſcilicet, & *Formam*, quæ copulata cohærent, ſeparatim ſcrutantur, & explicant. Sic & decem illa genera rerum prima, quorum nouem Subſtantiæ accidunt, animi cogitatione ab illa auocant: neque in naturalibus tantum, & ijs, quæ ſub ſenſum cadunt, conquieſcunt, ſed Mathematicorum exemplo ad res etiam, quæ ſub intelligentiam cadunt, progrediuntur; earumque differentias, quin & mentium diuinarum numerum ſcrutari conantur. Eodemque exemplo rerum vniuerſarum perceptionem, quæ in ſingulis artibus neceſſaria maxime eſt, noſtrorumque Philoſophorum animos valde conturbat, facillime, vt docet Galen. expediunt. Deinde præter initia illa certiſſima, quibus paſſim vtuntur, nihil ſine Demonſtratione recipiunt: quos imitati Philoſophi nec fabulis, nec commentis fidem habent, ſed rationes neceſſarias, quantum patitur rei ſubjectæ natura, magno ſtudio conquirunt.
33. Genera item illa Analogiarum, & ſymmetriarum, quæ Arithmetici, & Geometræ diſtincte notarunt, ad diſputationes ſibi propoſitas, cum res poſtulat, appoſi-

ppoſite transferunt. Et quod multis in locis obſeruaui, in rerum abſtruſarum veritate inueſtiganda, Mathematicorum veſtigijs inſiſtentes, diuinam illam methodum Analyſis adhibent, qua ita gradatim ad euidentiſſima principia certo regrediuntur, vt inde facillimum illis ſit contraria methodo Compoſitionis, ſiue Demonſtrationis, verum inuenire. Diſcunt præterea Mathematicorum imitatione perpetuam ſeriem demonſtrationum, qua apte aliæ ex alijs ducantur, contexere;&, quod omnium maximum eſt, de hominum judicio parum, aut nihil, de veritate vero, & rei natura multum laborare. Iam vero etiam ſi concedamus, (quod nulla ratione fieri poſſe videtur) non eſſe magno vſui cognitionem Mathematicarum parti Analyticæ intelligendæ; 35. illud tamen neceſſario fatendum, eam partem Logicæ, vt ab Ariſtot. explicatur, vix ſine Mathematicarum intelligentia percipi poſſe: cum & ratio docendi, qua vtitur, tota Mathematica ſit, & litterarum vſus, & vocabula ipſa, vt *termini, interualla, figuræ,* & pleraque exempla Mathematica ſint. Ex quo efficitur, vt multi ignoratione Mathematicarum eam partem Logicæ ſaltuatim, non continuata ſerie explanent. Cui culpæ affinis non eſt noſter Monlorius, 36. qui cum Mathematicarum peritiſſi-

mus, vt aliarum artium, & linguarum ſit, luculenta Paraphraſi, & ſcholiis libros de *Syllogiſmo* Ariſtot illuſtrauit. Ita Mathematicarum artium cognitio magno eſt ornamento ad partem Logicæ Analyticam
37. recte intelligendam. Et quoniam altera pars Logicæ, quam Ariſtot. *Dialecticam*, vulgo *Topicam* nominamus, illuſtratur Hiſtoria, atque exemplis Poëtarum, Hiſtoricorum, atque Oratorum, qui opinionem hominum potius, quam veritatem ſpectant, oportet quoque eos, qui in ea progreſſus magnos facere volunt, in hoc genere ſcriptorum eſſe aliquantulum verſatos. Quod ita eſſe ſatis declarat Ariſt cum libr. 3. Topic. repetit exempla illa Heroica *Neſtoris, Ajacis, & Vlyſſis*, libr. vero 2. Rhet. cum eoſdem pæne Locos ex Topicis repetitos proponat, ſubjicit tamen exempla multa Poëtarum, & Oratorum: quin & Alexand. in Comment. Topic. aliquando Exempla adhibet ex Thucydide, & Demoſthene deprompta. Neque vero ab hoc conſilio longe abhorrere videtur M. Tullius, cum Trebatium rogantem, vt Topica Ariſtot. illum doceat, rejicit ad magnum quendam Rhetorem. Idem etiam M Tullius 2. de Orat. eos ipſos locos Exemplis
38. Oratorum, & Poëtarum exornat. Atque hanc vnam præter cæteras cauſam eſſe ſuſpicor,

ſpicor, cur Topica negligentiſſime in ſcholis vulgo tractentur, & prope deſpicatui ducantur: cum ſint longe vtiliſſima, ac vt libere, quod ſentio, profitear, magnopere ad Philoſophiam, & reliquas artes cognoſcendas neceſſaria. Dices? Iudicio Ariſtot. 39.
Rhetoricam poſt Logicam, & Philoſophiam Moralem diſci oportere: quia Ariſtoteles libro 1. Rhetoricorum ſcribit, *Rhetoricam* quaſi ſtolonem quendam ex Logica, & Philoſophia Morali pullulaſſe. Eſt ita quidem, vt dicis, ſic tamen ex vtraque profectam artem bene dicendi affirmat, vt, quod illæ exquiſite perſequuntur, Rhetorica, tantum typo & pingui Minerua complectatur: quod in multis diſputationibus licet manifeſto cernere: vt in definitionibus & diuiſionibus *Beatitudinis*, & ejus partium, atque *virtutis*, & ejus formarum, & *rerum publicarum*, quarum diſſimillimæ ſunt, quæ in Ethicis, & Politicis leguntur: quin, & ipſe
Ariſtot. lib. 1. Rhetoric. conceptis verbis 40.
aſſerit definitiones ejuſmodi, quæ in Rhetoricis traduntur, non eſſe accuratas. Idem, quo loco vtilitates, quæ ex ea arte percipiuntur commemorat, liquido ſcribit, non eſſe Oratorum de ijs rebus ſubtiliter diſputare, ſed eorum, qui Philoſophiam in Gymnaſijs docent, & paulo poſt, cauendum eſſe Oratori, ne ejuſmodi argumenta

maxime propria Philoſophiæ, aut aliarum artium vſurpet: ne dum illa conſectatur, longius à ſuo inſtituto aberret, imprudenſque quam profitetur artem, plane corrumpat. Eodem libr. 1. Rhetoric. quo loco docet, quæ res cadunt in deliberationem, & quæ cognoſcendæ ſint, aſſeuerat diſputationem eam Politicæ eſſe, quaſi illa accurate de eis diſſerat, Rhetorica vero populariter. nam quod ad Logicam pertinet, cuius opera vtitur Rhetorica, idem eſt plane exiſtimandum. Etenim ſi comparemus inſtrumenta,& Locos cum Dialecticos, tum Sophiſticos,quos libr. 2. Rhetoric. perſequitur, cum Topicis, & Elenchis, magnum interuallum inter vtrunque locum interiectum eſſe animaduertemus, ac multo ſubtilius eadem in Logicis, quam in Rhetoricis explicata fuiſſe. Confirmat etiam hanc ſententiam idem Ariſtot.libr.1. Rhetoric. cum abſoluta diſputatione de *ſignis*, & *veriſimilibus* (qua materia vtuntur Enthymemata) inquit, illud ſatis eſſe, quod ad illum locum pertinet, ſeque diſtinctius de illis in Analyticis, hoc eſt libr.2. de Syllogiſmo deſeruiſſe. Quare ſi res ciuiles, & Logicæ pingui tantum Minerua,non exquiſita ratione tradendæ à Rhetore, & exercendæ ab oratore, non eſt neceſſe, vt ante Rhetoricam Logica, & Philoſophia diſcantur.

cantur. Objiciet illud quiſpiam Logicam ante Rhetoricam diſcendam eſſe, cum fateatur Ariſt. lib. 1. ſe vſum fuiſſe artificio Logicæ ad artem Rhetoricæ conficiendam, cui reſpondebimus non valere argumentum: propterea quod iſto pacto ante Grammaticam diſcenda Logica eſſet, cum neque Grammatica in artem reuocari ſine methodis, quarum magiſtra Logica eſt, potuerit. 41.

Illud porro hoc loco videndum eſt, Poëtica ne ante Rhetoricam tradenda ſit, an poſt illam cognoſcenda. Ac judicio quidem Ariſt. videtur ante Rhetoricam cognoſcenda. Nam ſi Rhetorica (eodem auctore in Poëticis) ad ſummum Poëticæ vſui eſſe poteſt ad ſententiam expoliendam, quæ vna pars eſt ex illis ſex qualitatis Poëticæ, illudque ſatis præſtari duce, & magiſtra tantum natura poſſe videatur, vt idem ſcribit à priſcis Poëtis factitatum fuiſſe, licet perfectius adhibita arte Rhetorica idem confici poſſit, perſpicuum certe eſt Rhetoricam non eſſe ante Poëticam neceſſario cognoſcendam, immo vero ex ſententia Ariſtot. Poëticæ intelligentiam poſtulat Rhetorica. Ita Ariſtot. diſputationem *de ridiculis*, quæ Rhetori neceſſaria eſt, ex Poëticis monet repeti oportere; ex lib. 2. ſcilicet, in quo de Comœdia, (cujus propria ridicula ſunt,) ab eo diſputatum fuiſſe, certo conjicimus. Quin 42.

& lib. 3. Rhetoric. cum de Elocutione diſputat, poſtulat, vt rem antea notam, quatuor eſſe *Metaphorarum* formas. quem locum idem lib. 1. de Poëtica accurate, & minutatim perſequitur. Sumit quoque eodem lib. 3. pro certo, & explorato *Synonyma* nomina quæ dicantur, quod ab illo explicatum fuiſſe in Poëticis refert Simplic. in Comment. Categor. vt libr. 2. traditum
43. fuiſſe credibile ſit. Fateor tamen faciliorem multo Poëticam futuram fuiſſe illo ſæculo, cum in ſingulos annos Dionyſijs, & Lenæis, hoc eſt vere multæ tragœdiæ, Comœdiæ, Satyri, & aliæ fabulæ, atque eadem lingua, inſpectante vniuerſo populo docerentur: in quo, ſi quid damni fit hac ætate, ſarciendum illud, vt poteſt, ab erudito doctore, mittendique auditores ad Fabulas veterum legendas, & ad noſtrates quoque ſpectan-
44. das, atque attente audiendas. Requiretur fortaſſe hoc loco, quo ordine artes ante Philoſophiam, & quatenus diſcendæ ſint. Quod ad ordinem quidem ſpectat, obſeruaui diſcrepantes fuiſſe antiquorum ſententias. Plato ſiquidem videtur lib. 7. de Leg. atque in Epinomide exiſtimaſſe, cum *Grammatica*, id eſt ratione illa legendi, & ſcribendi, vt tum loquebantur, *Mathematicas* diſcendas. nec injuria: in litteris namque diſcribendis lineæ, circuli, quadrata, & aliæ

& aliæ figuræ Geometricæ imitando exprimuntur. Quam rationem & Plato videtur 4
in his diſcendis accepiſſe, cum initio ejus dialogi, quem Ἀντερασταί, id eſt, *Riuales* cum Athenæo, & Laërtio inſcribo, commemoret in ſchola Dionyſij Grammatici (quo magiſtro in Grammaticis Platonem vſum eſſe Laërt. & Apuleius prodiderunt) reperiſſe ſe pueros, qui lineas, & circulos Oenopidæ deſcriberent. Oenopidem autem magni nominis Mathematicum fuiſſe, 46.
præter Diodorum Siculum, Plinium, Senecam, & alios ſcriptores, obſeruat diligenter Proclus libr. 1. Comment. ad Elementa Euclidis. Quam conſuetudinem 47.
diſcendi à priſcis quoque Poëtis notatam fuiſſe ex Quinctil. doceri poteſt, eamque probabilem eſſe teſtimonio Ariſtot. & multis argumentis demonſtrari. Sext. Pyrrhonius in illis libris eruditiſſimis aduerſus Mathematicos videtur alium ordinem innuere: vt poſt Grammaticam videlicet Rhetorica, poſt hanc Mathematicæ traderentur. Ac de *Rhetorica* quidem quod 48.
proxima poſt Grammaticam doceretur, teſtes multi locupletiſſimi: vt Halicar. initio libri περὶ συνθέσεως τῆς ὀνομάτων, & Petronius in Satyrico; *Eloquentiam, inquit, qua nihil majus eſſe*

conſi-

confitentur, pueris indunt adhuc naſcentibus. Quo loco conqueritur propellere ſua ætate ſolere ſtudia Eloquentiæ in forum. Quod vitium vtinam in noſtram ætatem non ita manaſſet, vt juſtiori expoſtulationi locus non eſſet. Teſtis præterea hujus conſuetudinis Tranquillus libris de Grammaticis, & Rhetoribus illuſtribus. Teſtatur idem Quinctil. Conſentit huic inſtituto Diomedes clariſſimus Grammaticus, qui in exitu Grammaticæ proponit exercitationẽ chriarum, & aliorum Progymnaſmatum, quaſi ad Rhetoricam proxime diſcendam inſtruerentur, vt monuerat Quinctil. faciendum eſſe. Hunc ordinem ſequitur item D. Iſidorus in libris Etymolog. Ante Philoſophiam
49. certe Rhetorica à multis cognita. De Hippocrate quidem Coo legimus apud Soranum, auditorem eum primum Gorgię Rhetoris fuiſſe, deinde ſe ad Democritum Phi-
50. loſophum contuliſſe. Antiſthenes Socraticus item, vt ait Laërtius, primum Gorgiam Rhetorem audiuit, deinde Socratem Philoſophum adijt. Ariſtoteles, vt obſeruant, qui ejus vitam litteris mandarunt, prius Rhetoricam, quam Philoſophiam di-
51. dicit. Sed, vt à priſcis illis ad ætatem imperatorum veniamus, ne exemplorum multitudine moleſtiam Lectori exhibeamus, *Papirius Fabianus*, qui in Romanis Philoſophis

phis principem locum tenuit, Eloquentiæ primum, deinde Philoſophiæ operam nauauit, vt liquet ex Seneca Rhetore. Tauri item Philoſophi Platonici doctiſſimi ætate, qui paulo antiquior Alexandro Aphrodiſienſi fuit, Rhetorica ante Philoſophiam docebatur, vt conſtat ex A. Gellio libr. x. Perſius quoque poëta, vt in ejus vita legitur, prius Rhetoricam, quam Philoſophiam didicit. Sed quorſum iſta ſigillatim conquiro, cum veterum monumenta ejuſmodi exemplis referta ſint: ad Mathematicorum 52. ſtudium reuertamur. Ammon. in Cōment. Porphyrij Iſagoges, ait Platonicos Mathematicas præpoſuiſſe Phyſiologiæ, vt earum beneficio animus noſter ad formas vniuerſas à rebus ſingulis auocandas erudiretur, Peripateticos vero Phyſicæ illas ſubjunxiſſe, vt earum familiari conſuetudine tanquam ſcalis, aut ponte vſi, celerius mentium cœleſtium genera, & naturam, quæ abſtruſior eſt, percipere poſſemus. Laudat quoque locum Plotini inclyti philoſophi Platonici, in quo monet, vt adoleſcentes erudiantur in Mathematicis, vt naturam expertem corporis cognoſcere aſſueſcant. Platonici ſane illi tantum videntur poſſe ea ratione impetrare Mathematicas magno vſui eſſe, quod omnes docti Philoſophi fatentur, ad expedite abſtrahendas formas generales à

rebus

rebus ſingulis, ac propterea ante Dialecticam potius, quam Phyſicam docendas: quia Dialectica tota in notionibus ejuſmodi conquirendis eſt occupata. Quam ob cauſam Plato Dialecticam illarum θριγκὸν, id eſt, *apicem*, & extremum facit, aut, vt alij, *ſepem*, in quibus & Clemens Alexandrinus, interpretantur, ne veritas à Sophiſtis conculcetur. Qua etiam notione poſt Mathematicarum cognitionem munimur præſidio Dialecticæ: ne à Sophiſtarum captionibus earum veritas, cum à nobis
53. percepta fuerit, conturbetur. Nam quod alij Peripatetici, vt natura medias inter res ſuperas, & inferas, ſic, & ordine diſcendi medias Mathematicas eſſe cenſuerunt, falluntur. Non enim ſi quid natura tale, continuo eo loco, quem natura tenet, diſcendum. Nam, & prima Philoſophia res natura primas, hoc eſt diuinas complectitur, neque primo loco tamen, vt veteres Peripatetici docent, diſcenda, cum diffi-
54. cillima ſit. D. Thomas in Comment. lib. 6. Nicomach. poſt Logicam Mathematicas diſcendas exiſtimauit, quod doceat rationem Methodi qua illæ confectæ ſint, ſed ante Philoſophiam. Cui aſſentior, qua parte Mathematicas ante philoſophiam percipiendas eſſe vult, ſed quatenus poſt Logicam, non poſſum eam ſententiam probare:

bare:propterea quod à veterum more,& inſtituto diſcedit; tum etiam quoniam ratio, qua in eam ſententiam adducitur, vt ſupra docuimus,cogit,vt ante Grammaticã quoq; logica docenda ſit In tanta igitur ſentētia- 55.
rum varietate, teneamus hunc curſum mediũ,qui rationi congruens videtur: vt pueri vna cum vtraq;Grammatica doceantur ſenſim, & facili ratione Mathematicas: quod priſcis placuiſſe videmus; poſſuntque pueri facile eas diſcere,earumq; fructum percipere,vt ait Ariſt. libr.6.Nicom. Philoſophiam vero difficile,ejuſq, fructum vix percipiunt, poſt *Grammaticam*,cum qua*Poëtica*,nec ſine *Historia* quidem cognitione diſcenda, & *Rhetorica* illis tradenda videtur, non intermiſſo tamen ſtudioMathematicarum.Quod 56.
ſi quis objiciat Ariſt. vna cum philoſophia Rhetoricam pomeridianis horis docuiſſe,is reuocet in memoriã,quod ſup.num.21.monuimus,ab Ariſtot.illud æmulatione potius Iſocratis Rhetoris,vt M.Tullius,&Quinct. obſeruarunt,quam quod ita exiſtimaret,feciſſe:præſertim cum & ipſe Rhetor. vt ſup. num.50.docuimus,ante Philoſophiam didiciſſet. Quod autem extremo loco quærebatur, cognoſcendæ ne ſint hæ Artes perfectè 57.
ante Philoſophiam, dicerem magno quidem vſui,ſi id aliquando contingeret,futurũ: ſed quoniam vix illud,& paucis in tanta

imbecil-

imbecillitate, & occupationum varietate conceditur, ſequendam cenſeo ſententiam Craſſi libr. 3. de Orat. vt tantum diſcatur earum artium, quantum ſat eſt. neque enim poſtulandum ab eo, quem ad Philoſophiam inſtruimus, vt in Mathematicis tantum proficiat, vt cum Euclide, aut Archimede de il-
58. lis contendere audeat. Finis ille præſtitutus ſit, tantum earum artium diſcat, quantum ſatis ad Philoſophiam percipiendam, quatenus earum opera adjuuari poteſt, eſſe videbitur. ac in Mathematicis quidem Pithagoricorum decreta, quoad poſſit, adhibeat.
59. Nam etſi in aliqua earum parte, vt in Muſicis, alij poſt ab illis diſceſſerint, (vt Ariſtoxenus, & Ptolemæus,) Ariſtotelique fortaſſe ſententia Ariſtoxeni magis probaretur, tamen quia nondum nata erat, multo vero magis illa Ptolemæi, Ariſt. publicam potius opinionem, quæ tum Pythagoricorum erat, ſequeretur. Nam de Rhetoricis, quam-
60. uis conemur alibi artem Hermogenis multo præſtabiliorem eſſe docere, quod & Oratorem expeditiorem ad dicendum, atque acriorem reddat: tamen, quoniam Rhetoricam ad intelligentiam Philoſophiæ, ac præſertim Ariſtotelicæ, requirimus, non eſt dubium, quin ejuſdem Ariſtot. libri ſint futuri multo fructuoſiores. Congruentius namque ejuſdem præceptis, ac propterea melius

melius illius proœmia, epilogi, cohortationes, ſi quæ interpoſitæ, atque ratio ſtyli, & elocutionis tota explicaretur, in qua multum ille poſitum eſſe præſidij cenſuit, libr. 3. Rhetoric. ad omnes Artes docendas. Quare præclare admodum ageretur cum Gymnaſijs, ſi auditores Philoſophiæ ſtudioſi, prius quam illam adirent, præter *Grammaticam, & Mathematicas, in Poëticis, & Rhetoricis Ariſtot.* exercerentur. Sed de auditoribus ſatis, nunc ad doctores veniamus.

SVMMARIVM

Cap. II.

De Doctoris Philoſophiæ Officio.

1. TRia in artium doctore neceſſaria.
2. Pœdia duplex, generalis & ſpecialis Logica nimirum.
3. Earum vtilitas.
4. Quis auctor ſit libri ſecundi Metaphyſicorum.
5. Philoſophia cognoſcenda.
6. Exercitatio neceſſaria.
7. Ad pœdiã quæ pertineant ex Linconienſi, Proclo & Themiſtio.
8. Quæ ratio conficiendi Epitomas.
9. Philoſophorum ſecta cognoſcenda.
10. Athenis omnium ſectarum Philoſophi.

11. *Pythagorei.*
12. *Platonici, & Academici.*
13. *Stoica ſecta eiuſque Scriptores.*
14. *Secta Epicurea.*
15. *Pyrrhoniorum.*
16. *Historia Philoſophica a quibus ſcripta.*
17. *Qui legendi in Philoſophorum ſectis.*
18. *Chronologia Philoſophorum: ἀνιστορησία fugienda.*
19. *Auctoritate veritas in Philoſophia præponderat.*
20. *Cur vtilis Chronologia Hiſtoriæ.*
21. *Ariſtotelis ſcripta doctori ſunt euoluenda.*
22. *Qui libri Ariſtot. quibus lucem adferat.*
23. *De quarto libro Meteororum.*
24. *Categoriæ Ariſtotelis.*
25. *Topicis neceſſariæ ſunt Categoriæ.*
26. *Ariſtot. quæ amiſſa ſunt quærenda.*
27. *Addita ab aliis adhibenda ſunt.*
28. *Simplicius in Ariſtot. Phyſica doctiſſime ſcripſit.*
29. *Theophraſti quæ interciderint.*
30. *Ariſtot. de Nilo.*
31. *De plantis Theophraſti & Phaniæ: item Ariſt. ſed non ſunt illius.*
32. *Ethica & Politica quibus illuſtrari queant.*
33. *Ex aliis quoque auctoribus ſubſidium Ariſt. libris petendum.*
34. *Ariſtot. dicendi mos doctori cognoſcendus iuxta Simplicium.*
35. *Alexand. Aphrodiſiei Interpretum Principis explanandi mos.*
36. *Doctor Philoſophiæ Græcarum ſit Litterarum peritus.*
37. *Themiſtius Latine non recte conuerſus.*

Cap. II.

Quæ deſiderentur in eo, qui Philoſophiam docere velit.

AC primum illud nemo dubitare poteſt, quin eadem, quæ ab auditore flagitabamus, & multo cumulatiora à doctore poſtulanda ſint: vt *Grammaticæ, Hiſtoriæ, Poëticæ, Rhetoricæ, atque Mathematicarum* perceptio. Sunt tamen multo plura, quæ in doctore perfecto requiruntur: quæ, vt præunte eodem Ariſtotele, vt in auditore fecimus, diſcamus. Tria ille obſeruat lib. 3. Politicorum 1.
in optimo cujuſuis Artis doctore ineſſe oportere. primum vt παιδείαν (ſic enim Græce melius quam Latine appellari poſſe videtur) ejus artis, quam profitetur, probe nouerit: deinde, vt ejuſdem artis ſcientiam diligenter comparauerit: poſtremo, vt faber in ea ſit, hoc eſt, longa, & aſſidua exercitatione occalluerit. Pædiæ igitur duas 2.
ſpecies facit Ariſt. libr. 1. de Partib. animal. vnam *generalem*, alteram *ſpecialem*. Generalis nomine accipiunt priſci Peripatetici *Logicam*, atque ejus Methodos in commune; *ſpecialis* vero eandem Logicam cum alicui arti, aut rei ſubjectę proprie accommodatur.

datur. Qualis eſt illa, quam Ariſtot. docet cap. 1. lib. 1. de anima, ad illam diſputationem pertractandam; & illa item, quam lib. 1. de Partibus explicat ad lib. de animalibus
3. intelligendos. Porro hæ duæ pædiæ ſunt neceſſariæ: quia, vt ſcribit Ariſt. lib. 1. Nicomach. pro varia natura rei ſubjectæ quęque methodus mutatur. Quod etiam indi-
4. cat ejus diſcipulus Paſicrates in extremo fragmento ejus libri, qui vulgo ſecundus Metaphyſic inſcribitur. Quare non ſolum oportet doctorem Philoſophię noſſe Logicam in vniuerſum, atque ſingulas ejus Methodos, verum etiam qua ratione ſingulæ cuique argumento accommodandæ; vt rem
5. quamque pro ſua natura perſequatur. Alterum caput eſt, vt ſcientiam Philoſophiæ egregrie ſciat. Id vt aſſequatur, neceſſe eſt, vt ſingulas ejus concluſiones per demonſtrationem cognoſcat, & reſolutionis methodo ad principia certa, & exquiſitas definitiones ſingulas retexat: quod quia facile præſtari non poteſt (difficile eſt namq; ſcire, vtrum quis ſciat, an non, vt ait Ariſt. 1. Poſterior.) propterea opus eſt, vt diſputationes quoque Topicas accurate teneat, quibus Ariſt. aliorum Philoſophorum ſententias refellit, aut in contrarias partes de re propoſita diſputat, vt certius de verita-
6. te, & natura rei ſtatui poſſit. Tertium illud eſt,

eſt, vt in vtraque parte Philoſophię ſit diligenter exercitatus pro cujuſque natura, vt in contemplatiua expedite quid verum in quaque re ſit, & quę cauſa illius cognoſcat. In Practica vero parte illud præterea adhibeat, quid publice, quidque priuatim agendum ſit, & propter quas cauſas. Ex his capitibus elicitur vtiliſſima ratio docendę Philoſophiæ, ſi doctor quanque harum partium monſtret ſeparatim auditoribus: vt obſeruet ſcilicet qui locus ad pædiam, qui ad ſcientiam, quique ad exercitationem pertineat. Vt cap 1. Lib. 1. Phyſicor. perti- 7.
net ad ſolam pædiam, cum in eo tantum ratio reddatur ex Logicis, cur de principijs in Phyſiologia prius, & qua methodo de illis diſſerendum ſit Hoc vidit acute Linconienſis in Comment. Poſteriorum, cum ſermone quidem parum eleganti, ſed vere obſeruat, quo loco diſputatio ſolum Topica adhibeatur: vt cum ſcribit, *hoc capitulum eſt de complemento bonitatis: quale eſt cap. 3. libr. 1. de Demonſt.* ita cum locus ad ſcientiam ſpectat; *hoc capitulum*, inquit, *eſt de ſubſtantia ſcientiæ. Cuiuſmodi eſt cap. 2. libr. 1. de Demonſt.* Themiſtius tamen multo ante id perſpexerat, cum vbi de ſola diſputatione Topica agitur, annotat, ibi nil præter exercitationem ſolam technologiæ contineri. Hæc ratio Proclum, magnum Philoſophum,

induxit, vt ex libr. potiſſimum 6. Phyſic. & ex alijs Ariſtot. colligeret illam ſtœchioſim elegantiſſimam de motu duobus lib. diſtin-
8, ctam: quæ ratio vnica eſt conficiendi compendia Ariſtot. Theophraſti, Galeni atque ejuſmodi ſcriptorum: qui ratione, & via Analytica artes docuerant. Hac ratione oporteret auditoribus omnes partes Philoſophiæ à Doctoribus tradi: quod olim Sauanorola preſtare voluit in omnibus partibus Philoſophiæ, neſcio an ſit aſſecutus. nos certe in ea parte Phyſiologiæ, quæ vulgo in ſcholis explicatur, illud aliquando elaborauimus non ſine magno auditorum
9, commodo eſtque in manibus. Et quoniam Peripateticam tantum diſciplinam vulgo Philoſophi in Gymnaſijs docent, (fuerunt autem plures ſectę Philoſophorum nobiles) neceſſe eſſet doctorem ſingularum peritia præditum eſſe: ut ſi quando ab Ariſtotelica diſſentirent, ſine ſtudio partium comparatis momentis rationum cujuſque familię, quod rectum eſſet, monſtrarent, quod falſum, re-
10, pudiarent. Philoſtratus in vitis Sophiſtarum, & Lucianus, produnt Athenis ſingularum ſectarum doctores fuiſſe, qui publice eas profiterentur: additque Lucianus oportere quemque doctorem noſſe reliquarum ſectas: vt cum ceterarum ſententias à ſua abhorrentes confutaſſet, ſuam certo aſſereret,

ret. Hoc ab Alexandro Aphrodiſienſi optimo Ariſtot. explanatore paſſim fieri videmus. Sic & Porphyrius Ariſtotelem interpretatus eſt, vt cæterarum familiarum decreta cum Peripateticis compararet: vt ex Simplicio, & Boëtio percipi poteſt. Quæ- 11.
reret quiſpiam, cum temporum injuria perierint magna ex parte reliquorum philoſophorum ſcripta, qui poſſit tanto malo remedium aliquod adhiberi. Pythagoricam, quæ antiquior eſt cæteris clarioribus Græciæ, ſuppeditabunt Iamblichus, & Porphyrius (qui Malchi nomine editus extat) libr. de vita & Secta Pythagor. & Simplicius, vt refertur, interpres, ſi quando ille hanc lucem aſpiceret. Hieroclis quoque Commentarius ad aurea Pythagoræ carmina vere aureus. quibus adjungemus ea, quę Laërt. in ejus vita collegit. Nam Academicæ prin- 12.
ceps Plato pœne totus ſuppetit, multique in illum Commentarij Græci manibus eruditorum circumferuntur, præter illos Procli in Timæum, & libr. de Republ. & exilia neſcio quæ ſcholia Chalcidij ad Timæum vulgata. vtinam aliquando ederentur Commentarij Græci in Platonem, & libri illi *de Theologia Platonica Procli*; atque integra Στοιχείωσις ejuſdem Theologiæ Platonicæ, quam vulgus ficto indice *de cauſis* falſo aſcripſit Ariſtoteli. Iuuabit multo hanc partem-

Prodierunt Hamburgi, 1618.

induxit, vt ex libr. potiſſimum 6. Phyſic. & ex alijs Ariſtot. colligeret illam ſtœchioſim elegantiſſimam de motu duobus lib. diſtin-
8. ctam: quæ ratio vnica eſt conficiendi compendia Ariſtot. Theophraſti, Galeni atque ejuſmodi ſcriptorum: qui ratione, & via Analytica artes docuerant. Hac ratione oporteret auditoribus omnes partes Philoſophiæ à Doctoribus tradi: quod olim Sauanorola preſtare voluit in omnibus partibus Philoſophiæ, neſcio an ſit aſſecutus. nos certe in ea parte Phyſiologiæ, quæ vulgo in ſcholis explicatur, illud aliquando elaborauimus non ſine magno auditorum
9. commodo eſtque in manibus. Et quoniam Peripateticam tantum diſciplinam vulgo Philoſophi in Gymnaſijs docent, (fuerunt autem plures ſectę Philoſophorum nobiles) neceſſe eſſet doctorem ſingularum peritia præditum eſſe: ut ſi quando ab Ariſtotelica diſſentirent, ſine ſtudio partium comparatis momentis rationum cujuſque familię, quod rectum eſſet, monſtrarent, quod falſum, re-
10. pudiarent. Philoſtratus in vitis Sophiſtarum, & Lucianus, produnt Athenis ſingularum ſectarum doctores fuiſſe, qui publice eas profiterentur: additque Lucianus oportere quemque doctorem noſſe reliquarum ſectas: vt cum ceterarum ſententias à ſua abhorrentes confutaſſet, ſuam certo aſſereret,

ret. Hoc ab Alexandro Aphrodiſienſi optimo Ariſtot. explanatore paſſim fieri videmus. Sic & Porphyrius Ariſtotelem interpretatus eſt, vt cæterarum familiarum decreta cum Peripateticis compararet: vt ex Simplicio, & Boëtio percipi poteſt. Quæ- 11.
reret quiſpiam, cum temporum injuria perierint magna ex parte reliquorum philoſophorum ſcripta, qui poſſit tanto malo remedium aliquod adhiberi. Pythagoricam, quæ antiquior eſt cæteris clarioribus Græciæ, ſuppeditabunt Iamblichus, & Porphyrius (qui Malchi nomine editus extat) libr. de vita & Secta Pythagor. & Simplicius, vt refertur, interpres, ſi quando ille hanc lucem aſpiceret. Hieroclis quoque Commentarius ad aurea Pythagoræ carmina vere aureus.quibus adjungemus ea,quę Laërt. in ejus vita collegit. Nam Academicæ prin- 12.
ceps Plato pœne totus ſuppetit, multique in illum Commentarij Græci manibus eruditorum circumferuntur, præter illos Procli in Timæum, & libr. de Republ. & exilia neſcio quæ ſcholia Chalcidij ad Timæum vulgata. vtinam aliquando ederentur Commentarij Græci in Platonem, & libri illi *de Theologia Platonica Procli*; atque integra Σтοιχείωσις ejuſdem Theologiæ Platonicæ, quam vulgus ficto indice *de cauſis* falſo aſcripſit Ariſtoteli. Iuuabit multo hanc par-

Prodierunt Hamburgi, 1618.

tem magnus ille Plotinus, Platonicorum facile princeps, qui jam Græce, & Latine prodijt, ut & Dionyſius Areop. Teruntur præterea manibus eruditorum aliqua ejuſdem Iamblichi, Procli item, Numenij, & aliorum Platonicorum, ſed miſere affecta. Habemus item *Alcinoi Epitomam dogmatum Platonis* Græce, & Latine, & ejuſdem argumenti libellum Apuleij, atque illi ſupparem ejuſdem de Philoſophia: qui totam prope Philoſophiam Moralem Platonis ex varijs ejus Dialogis deſcribit, & præſertim ex libr. de Repub. & de Leg. Operæ precium quoque erit ex recentioribus adjungere Gemiſtium Plethonem, Biſſarionis præclarum opus aduerſus calumniatorem Platonis, Mar. Ficinum, Fr. Patricium, Cata-
13. næum, Theupolum & alios. Stoicam diſciplinam qui noſſe cupit, adeat Epicteti libellum aureolum, cum ſcholijs Simplicij, ſed copioſiores Comment. Greci Arriani. Cleomedes quoque in Meteoris magno erit presidio ad Phyſiologie illorum decreta cognoſcenda, vt Epictetus ad Moralia, & hoc recentior Barlamus Epiſc. Gyracenſis. Seneca tamen Philoſophus vtrumque copioſius præſtiterit, quem Iuſtus Lipſius egregie illuſtrauit, addita ejuſdem *Manuductione Stoica* duplici, item Gaſparis Scioppij Stoica moralia exſtant. Epitome autem loco erunt illa

quæ

uæ Laërt.coaceruauit in Zenone.Epicureæ
uciores ſcriptores ſuperſtites. Poreſt ta-
nen fere tota ex Epicuro Laërt.lib.x. cog-
oſci,quia Laërt.in ea diligentior, quam in
æteris fuit, totumq; librũ vndecimum in
a conſumpſit.Sed partem naturalem ejus
iſciplinæ debemus T.Lucretio,qui eam e-
egantiſſime verſib. (vt Empedocles Pytha-
oricã) deſcripſit. Maximo igitur ad eam ré
ſui erit Lucretij cum Laërtio comparatio:
n qua illud prętrea lucri fiet, vt Laert.ſuæ
ntegritati magis reſtituatur,quod video ab
ſaacio Caſaubono elaboratum, Lucretium
erte emendatiſſimum legimus opera Lam- 15.
ini, ac Giſanij. Pyrrhoniam ſectam deſcri-
ſit eruditiſſime, & copioſiſſime Sex. Pyr-
honius libris, quos aduerſus Mathemati-
os inſcripſit,& illis Hypotypoſeon: quos
Latinitate donatos ab Heruero accepimus,
& ab Henrico Stephano correctos,& notis
lluſtratos diligentiſſime:cui vtinã aliquan-
do debeamus *Ariſtoclis Meſſenij* libros de
Hiſtoria Philoſophica:quorũ opera ſe in mul-
tis adiutum ad Sexti ſcripta emendanda in-
genue fatetur Henricus Cæteras ſectas phi-
loſophorũ, aut non magni intereſt minuta-
tim noſſe,aut ſi quid intereſt,poſſunt magnã 16.
partẽ ex Laërtio,& Plutarc *de Decretis Phi-
loſophorum*,& Galeni,aut quicunq; fuit,*hiſt.
Philoſophica*,è Plut.excerpta colligi:quanquã

hi duo poſteriores ſatis deprauati: Poſſunt tamen multis locis reſtituti ex contentione vtriuſque & ex Euſebio, ſed melius præſidio manuſcriptorum Codicum. Ioan. Stobæi Eclogæ, ad eam quoque rem vtiliſſimæ, multo tamen emendatiores prodijſſent, auctiores ſaltem, ſi Canterus nactus fuiſſet earum exemplar, quale nos vidimus apud Ant. Auguſtinum Archiepiſc. Tarracon. virum, cujus nomen nulla vetuſtas obruet.
17. Ornare hanc quoque ſtudiorum partem poſſunt multum ſcripta Ciceronis, Plutarchi, Galeni, atque explanatorum Platonis, & Ariſtot. Athenæi, Apuleij, A. Gellij, Macrobij, Porphyrij, & præſertim in libr. *de Abſtinentia animatorum*, atq; in Comment. Harmonicorum Ptolomęi. Locupletiſſimi quoque in hoc genere Patres Chriſtiani Græci, & Latini in ijs, quæ contra Gentes ſcriptis mandarunt. Poſſunt & alij non parum conferre ad hoc inſt tutum: vt Strabo Geographus, qui profeſſione fuit Stoicus, & Achilles Statius in illis, quæ ad Aratum ſcripſit, Quinctilianus, Fortunatianus, & alij, quos longum eſſet recenſere.
18. Et quoniam multum refert in Philoſophia, vt in cæteris artibus, noſſe, vnde quiſque ſua mutuatus ſit, atque vetuſtiores auctoritate plus valent, opus erit quoque doctori notam eſſe Chronologiam Philoſophorum Hiſtoriæ, ſiue ex

Laert.

iërt. ſiue ex Eunapio, hinc ex lib. IV. Phy-
:æ auſcultat. Benedicti Peterij, ſiue ex hi-
)ricis, aut aliunde illam didicerit. Philo- 19.
phia quidem de hominum auctoritate pa-
m ſollicita eſt: in vnam veritatem atque
tiones neceſſarias, quibus confirmatur,
ta incumbit: infirmitas tamen & imbe-
litas noſtra, atque priſca illius antiquita-
; mirifica in edendis libris diligentia co-
t, vt eorum auctoritati multum tribua-
us: *ἀνιςορησία* præterea, id eſt, tempo-
m perturbatio, quæ in omni genere ſtu-
)rum ſemper turpiſſima habita eſt, à no-
s impetrare debet, vt qua ætate quiſque
ıruerit, ſtudioſe conquiramus. Quo ſtu- 20.
o illud plerunque aſſequimur, vt quos ha-
mus in manibus libros, certius emendare
ıſſimus: vt illud omittam, quantum cui-
ıe debeamus, hac ratione liquere, ita vt
ctori juſtiores gratiæ, ei vero qui exſcri-
it, minus debitæ referantur. Hujus ob-
ruationis negligentia excitata ſunt illa
)nſtra errorum in litteris: *Ariſt. hoc loco*
icurum refellit, cum vix ex ephebis exceſ-
ſet Epicurus, quo anno mortuus Ariſt. &
:erum huic geminum: *hoc deſumpſit Galen.*
Porphyrio, qui centum prope annis poſt
ılen. in hanc lucem ſuſceptus fuit. Am- 21.
)nius, & Simplicius illud ſuperioribus
jungunt, oportere eum, qui ſit Philoſo-
phiam

hi duo poſteriores ſatis deprauati : Poſſunt tamen multis locis reſtituti ex contentione vtriuſque & ex Euſebio, ſed melius præſidio manuſcriptorum Codicum. Ioan. Stobæi Eclogæ,ad eam quoque rem vtiliſſimæ, multo tamen emendatiores prodijſſent, auctiores ſaltem,ſi Canterus nactus fuiſſet earum exemplar,quale nos vidimus apud Ant. Auguſtinum Archiepiſc. Tarracon. virum, cujus nomen nulla vetuſtas obruet.

17. Ornare hanc quoque ſtudiorum partem poſſunt multum ſcripta Ciceronis, Plutarchi, Galeni, atque explanatorum Platonis, & Ariſtot. Athenæi, Apuleij, A. Gellij,Macrobij, Porphyrij, & præſertim in libr. *de Abſtinentia animatorum*, atq; in Comment.Harmonicorum Ptolomęi.Locupletiſſimi quoque in hoc genere Patres Chriſtiani Græci, & Latini in ijs, quæ contra Gentes ſcriptis mandarunt.Poſſunt & alij non parum conferre ad hoc inſtitutum: vt Strabo Geographus, qui profeſſione fuit Stoicus,& Achilles Statius in illis, quæ ad Aratum ſcripſit, Quinctilianus, Fortunatianus, & alij, quos longum eſſet recenſere.

18. Et quoniam multum refert in Philoſophia, vt in cæteris artibus, noſſe, vnde quiſque ſua mutuatus ſit, atque vetuſtiores auctoritate plus valent, opus erit quoque doctori notam eſſe Chronologiam Philoſophorum Hiſtoriæ, ſiue ex

Laërt.

Laërt. ſiue ex Eunapio, hinc ex lib. IV. Phyſicæ auſcultat. Benedicti Pererij, ſiue ex hiſtoricis, aut aliunde illam didicerit. Philo- 19.
ſophia quidem de hominum auctoritate parum ſollicita eſt: in vnam veritatem atque rationes neceſſarias, quibus confirmatur, tota incumbit: infirmitas tamen & imbecillitas noſtra, atque priſca illius antiquitatis mirifica in edendis libris diligentia cogit, vt eorum auctoritati multum tribuamus: ἀνισορησία præterea, id eſt, temporum perturbatio, quæ in omni genere ſtudiorum ſemper turpiſſima habita eſt, à nobis impetrare debet, vt qua ætate quiſque floruerit, ſtudioſe conquiramus. Quo ſtu- 20.
dio illud plerunque aſſequimur, vt quos habemus in manibus libros, certius emendare poſſimus: vt illud omittam, quantum cuique debeamus, hac ratione liquere, ita vt auctori juſtiores gratiæ, ei vero qui exſcripſit, minus debitæ referantur. Hujus obſeruationis negligentia excitata ſunt illa monſtra errorum in litteris: *Ariſt. hoc loco Epicurum refellit*, cum vix ex ephebis exceſſiſſet Epicurus, quo anno mortuus Ariſt. & alterum huic geminum: *hoc deſumpſit Galen. ex Porphyrio*, qui centum prope annis poſt Galen. in hanc lucem ſuſceptus fuit. Am- 21.
monius, & Simplicius illud ſuperioribus adjungunt, oportere eum, qui ſit Philoſophiam

phiam Ariſtot. explanaturus, omnia ejus ſcripta attente pervolutaſſe, aſſidueque in eis verſatum eſſe: admonitio ſane æquiſſima. Loci ſiquidem alij alijs prælucent plerunq;:
22. vt libellus de Zenone, Xenophane, & Gorgia, emendatior dumtaxat multis locis, Phyſiologiæ, atque primæ Philoſophiæ lucem afferet: vt Nicomachijs, Eudemiorum libri, & magnorum Moralium ejuſdem; & Topicis, atque Elenchis ejuſdem libri Rhetoricorum, Poëticorum item aliquando.
23. Quartus autem liber ille Meteorologic. (ſine cujus diſputationis intelligentia vix vllus ſe Phyſiologum jure profiteatur) vt illuſtrari poteſt libr. de partibus animalium, atque alijs quibus cauſæ eorum, quæ conueniunt animalibus aut plantis explicantur. Certe qui hoc obſervauerit in ejus libri explanatione, adjunxeritque eodem exemplo, quæ ad metallica, foſſilia, & artem medicam, quin & ad fabriles, & ſellularias ſpectant, is in eo genere regnare videbitur.
24. Categoriarum librum, vt exornat Simplic. dum multos locos primæ Philoſophiæ cum illis comparat: Adraſtus vero Peripateticus egregius quot locos Topicorū cum illis contuliſſet: propter quos illi fortaſſe editæ videbantur, cum eas *Anteapica* inſcribendas cenſuiſſet. Enimvero nullus eſt
25. liber, qui pluribus locis videatur libri

Catego-

Categoriarum intelligentiam poſtulare: quos qui excuſſerit ſigillatim,& ſingula minutatim cum Categor. libro comparauerit, næ is fructum maximum perceperit. Neque vero eorum tantum, quæ extant, 26.
ſed eorum etiam ſcriptorum, quæ perierunt, oportet peritum eſſe, atque etiam librorum,quos Ariſtot. diſcipuli ediderant, & eorum ſucceſſores: præſertim in quibus à prioribus deſciuerunt: qua cauſa impulſus Alexander in librum περὶ ἑρμηνείας cõmentarios diuulgauerat, vt prodidit Boët.Quid? quod poſteri aliqua addide- 27.
rũt ſuperioribus.Quam multi loci lib. περὶ ἑρμηνείας aptius enuclearentur, facta contentione cum fragmentis librorum Theophraſti de Affirmatione,&Negatione,atque Eudemi de Locutione: qui libri erant ejuſdem argumenti. Quanta lux accedit lib.1. Analyticorum ex comparatione, quam paſſim in illorum explanatione adhibet Alexander, Analyticorum Theophraſti, & Eudemi:quantam idem prętulit libris Topicorum ac præſertim primo, adductis in contentionem Topicis Theophraſti. Simpli- 28.
cius vero in expoſitione illa Phyſicorum doctiſſima omnes libros Phyſicorum Eudemi videtur effudiſſe; aliqua item Stratonis, qui Theophraſto in ſchola ſucceſſerat:quãuis in

multis

29. multis ab illis degenerauerat. Scripſerat quoque Theophraſtus libr. de Cœlo, quorum meminit Proclus in Comment. Timæi Platonici & lib. de Elementorum proprietate, quem laudat Simplicius, quo mirifice explicarentur libri de ortu Ariſtot. quanquam habemus fragmentum eruditiſſimum Alexandri de mixtione, quo multæ tenebræ illorum poſſunt depelli. ſcripſerat quoque Theophraſtus libros Meteorolog. quos ci-
30. tat Plutarch. Libellus vero Ariſt. de Nilo mirum quantum iuuat libr. Meteorologicorum ejuſdem, Diſputationem autem *de Ventis* libellus ejuſdem argumenti Theoph. & Sectio Problematum gemina ejuſdem Ariſt. tertio. Porro libro extremo multum proderit liber de Lapidibus Theophraſti. De animalib. multa quoque Theophr. deuulgauerat, ſed plura, vt videtur Eudemus, quæ multis in locis proferuntur à Galeno, Polluce, Apuleio, & Rufo Epheſio, & alijs. diſputationem de phantaſia, & ſenſu planiorem reddet paraphraſis Priſciani Lydi, quam habemus, ad fragmentum Theophraſti de eadem materia. Ad librum *de ſenſu* perpoliendum habemus fragmentum Ariſtot. elegantiſſimum de ijs, quæ cadunt ſub auditum, & librum Theophraſt. de ſenſu. Diſputationi de longitudine, & breuitate vitæ quantum præſidij attulerit ſimilis diſputatio

diſputatio Theophraſti in libris *de cauſis plantarum!* Nam libri *de Plantis*, qui nomine Ariſt. circumferuntur, indigni, in quibus ſtudij aliquid ponatur, neque Ariſt. auctorem poſſunt vere profiteri. Theophraſti tamen libri *de Plantis* multum luminis accepiſſent ex libris de Plantis ejus condiſcipuli, & popularis Phaniæ : quorum frequentiſſima apud Plin. & Athenæum mentio. Libris de Sapientia Ariſt. quanto vſui erit fragmentum illud præclarum Theophraſti, quod extat, vt omittam alterum illud Paſicratis, & anacephalæoſim illam, quæ in lib. vndecimum vulgo conjecta eſt. 31.

32. Libris Ethicorum, & Politicorum facem præferent Problemata, ſeu Quæſtiones, *dubitationesq́, Morales* Alexandri. Nam Theophraſti fragmenta pauca admodum illius argumenti reperiuntur. Neque vero ex diſcipulis tantum Ariſtot. & eorum ſucceſſoribus ſed etiam ex alijs poſſunt multum iuuari Ariſtotelica : vt diſputatio *de Vacuo* ex Heronis Mechancis, Libri *de Cœlo* ex Achille Statio, Cleomede, Ptolemæo, Procli hypotypoſi Aſtronomica, Meteora ex quæſtionibus Senecæ, & Plinio. ex quo & libri de animalibus & Plantis illuminari poſſunt. Ac ſunt alij multi, qui operam ſuam poſſunt his accommodare : quos ſi perſequerer ſigillatim, Bibliotheca integra eſſet explican-

plicanda. Illud præterea ſilentio inuolui
34. non poteſt, quod Simplicius poſtulat à doctore philoſophiæ Ariſtotelicæ, vt mores ſcilicet Ariſtot. in docendo probe teneat quales illi ſunt: 1 vt prius aliorum ſententias refellat, quam ſuam aperiat; 2 vt phænomena primû, & hiſtoriam deſcribat, quam cauſas eorum reddat, quam partem extremam propoſuit, eam primo perſequatur; 3 vt multas aliquando proponat dubitationes, eaſque ſimul vna ſolutione ad exitum adducat, vt ab euidentia, atque ſenſu communi nunquam diſcedat; 4 vt in rebus certis, & exploratis, quod ſupra monuimus, vocabula, quibus hæſitare videtur, adhibeat, 5 vt primum proponat id, de quo acturus (vt obſeruat ejus diſcipulus Ariſtoxenus) & alia ejus inſtituta, quæ ejus interpretes ſo-
35. lent animadvertere. Neceſſe quoque eſt doctorem philoſophiæ Ariſtotelicæ non eſſe ignarum conſuetudinis explanatorum veterum Ariſtot. ac inprimis eorum, qui ceteris antiſtant, vt Alexandri Aphrodiſienſis, qui vnus norma eſſe debet interpretum Ariſtot. Is igitur quoties Ariſtot. Platonis ſententiam inſectatur, addit plura argumenta ad eam infirmandam, neque Platonem, vt Simplicius, & alij tuentur, aut Ariſtoteli conciliat. idem cæterorum philoſophorum ſectas, cum caſus illud fert, labefactat, vt Stoico-

Stoicorũ, quos recentiores vocat vt Apuleius Peripateticos Stoicorum aſpectu veteres in lib. perihermenias. illud vero ad extremum 36. non ſolum poſtulandum, ſed etiam flagitandum, ab eo qui Ariſtot. Philoſophiam explanandam ſuſceperit, ne linguæ Græcæ rudis ſit, ſed eam plane calleat. Fit enim plerunque, vt ejus ignoratione in multis labamur, & præſertim in veriloquijs, id eſt, etymologijs, vt ait D. Thomas lib. 1. de Cœlo, lect. 11. cujus hæc ſunt verba à ſtudioſis Ariſtot. obſeruanda: *Quia veriloquium ſuam habet vim ex verbis ejuſdem linguæ, non eſt mirum, ſi hujus in alium ſermonem facta migratione, nulla relucceat ſpecies: maxime cum nullum appoſite poſſit reſpondere. Hinc ſæpe à veriloquio videtur ratio plane inepta.* & paulo poſt: *in talibus ſane requirendus eſt archetypus, in quo & clarus, & germanus monſtratur intellectus. Viuacior enim eſt vox, quæ neque qualitatem, neque ſubſtantiam mutabit, ea quæ colores omnes, & dignitatem ſimul vti mortua perdidit. Vt ergo teneas apertam deductionem, vide Ariſt. contextum ad hunc fere modum,* τὸ αἰὼν ἀπὸ ἀεὶ, &c. Hæc D. Thom. ſed præter veriloquia quam multa Græce melius, quam Latine dicuntur, quã multa ab interpretibus ex Ariſt. atque ejus explanatoribus perperã conuerſa, aut, vt verius dicam, peruerſa. Vnus Themiſtius argumento eſſe 37. poterit:

poterit: qui licet ab eruditiſſimo Hermolao cōverſus, libertate tamen interpretandi, & ſtudio linguæ elegantioris, ita multis locis corruptus, vt ſi cum Græco eum conferas, longe aliùs videatur. Satius eſſet, vt ejus tranſlatio vetus (quam audio Compluti apud Carpetanos alicubi abditam aſſervari) aliquando ederetur. Hactenus, quæ in doctore Philoſophiæ deſideranda.

SVMMARIVM

CAP. III.

Quot & quæ docenda.

1. *Contēplatiua & practica partes Philoſophiæ.*
2. *Mathematica in Contemplatiua non numeranda.*
3. *Ariſtot. locus explicatur.*
4. *Libri Metaphyſicorū neceſſarij Theologis inf. 15.*
5. *Practica Philoſophia vitæ neceſſaria.*
6. *Categoriæ ad Logicam pertinent: Ant. Mirandulanus refellitur.*
7. *Priora Analytica quibus vtilia.*
8. *Lipſij & Criticorum copia Scriptorum vnde.*
9. *Ariſtot. ſuos quomodo reddidit diſertos & ipſe euaſit. & infra 11 & ſup. 15. cap. 1.*
10. *Topica & vſus eorum, exemplo de ſubſtantia illuſtratus.*

11. Topica

11. *Topica cur non recte in Scholis omittantur.*
12. *Quæſtionibus tractandis exercebant ſuos Ariſt. & Theophraſtus.*
13. *Querimonia de quæſtionum copia vt Ariſtoteles negligatur, & infr. cap. 5. 93. & 117.*
14. *Phyſicorum Ariſtot. qui libri doceantur.*
15. *Metaphyſica Theologis neceſſaria. ſup. 4.*
16. 17. *Ethica & Politica Ariſtot.*
18. *Quæ hic deſiderentur.*
19. *De animi perturbationibus, & ſanitate. Andronicus de affectionibus animi an peripatheticus.*
20. *De Foſſilibus & Metallicis.*
21. *De Methodis ac Methodicis Ariſt. libris.*
22. *Methodus quid.*
23. *Tres ſunt Peripateticis Methodi.*
24. *Ordo earum.*
25. *Topica Methodi in artibus tradendis.*
26. *De mundi æternitate difficilis quæſtio.*
27. *Ariſtot. de tribus Methodis, Compoſitiua, reſolutiua & diuiſiua.*
28. *Tertia Methodus diuiſiua ex Galeno.*
29. *Definitiones.*
30. *Platonica Methodus: item ſimilium ac diſſimilium.*

Cap. III.

Quot, & quæ docenda, vt decurſus ſpatij Philoſophiæ cumulate perficiatur.

AC Præter Logicam, quidem, quæ neceſſario, vt inſtrumentum, ante Philoſophiam tradi debet, docendæ ſunt duę illę partes Philoſophię
1. Contemplatiua ſcilicet, & Practatica: quas Ariſtot. & Theophraſt. vt quis perfectus Philoſophus eſſe poſſet, requirebant, vt docet Plutarch. lib. 1. de Decretis Philoſophorum. *Contemplatiua* autem ab Ariſt. libr. 7. & 11. de Sapientia (vt vulgo eos libros partiuntur) diuiditur in primam tantum, & ſecundam. Primam vocat Sapientiam, Theologiam, ſecundam vero Phyſiologiam.
2. Nam Mathematicas non numerat in partibus Philoſophiæ; vt conſtat ex ea comparatione partium Philoſophiæ, & Mathematicarum, quam affert libr. 4. de Sapientia, tum etiam ex illo loco lib. 12. de Sapientia, in quo tradit Aſtronomiam ex Mathematicis propius accedere ad Philoſophiam: quia ſola ex illis circa ſubſtantiam verſatur. quin & Alexand. Aphrodiſ. in Comment. lib. 1. Prior. *Philoſophiam Contemplatiuam* definit ſcien-

ſcientiam diuinorum, & eorum quæ natura fiunt, & conſtant. Vbi nulla Mathematicarum mentio. Cicero item, Seneca, Galen.& alij in eadem ſententia ſunt. At Ariſtot.lib.6.de Sapientia tres facit partes Philoſophiæ contemplatiuæ *Phyſicam*, *Mathematicam, & primam Philoſophiam*. facit quidem, ſed Alexand. ibi per metalepſim *diſciplinam*, pro *Philoſophia* reponit, quaſi velit ſignificare non eſſe illas tres partes philoſophiæ contemplatiuæ, ſed tres formas earum ſcientiarum, quæ in rerum contemplatione verſantur. nam cæteræ artes præter inſtrumenta, ſiue partes Philoſophiæ ſint, ſiue non ſint, aut in contemplatione, vt *Phyſica*, aut in actione, vt *Politica*, aut in effectione, vt *Architectura* cernuntur. Ptolemæus tamen, Ammon,& alij (quorum non eſt tantum in Philoſophia nomen,)Mathematicas in partibus Philoſophiæ contemplatiuæ recenſent: vtut tamen hoc ſit imperfectum Philoſophiæ ſpatium decurrunt, qui libros de Sapientia auditoribus non interpretantur. Porro cum ad ſtudia Theologiæ Scholaſticæ tranſeunt auditores, ſentiunt quantum detrimentum illis importet hujus partis ignoratio; cujus aut nihil, aut perexiguum cognitum afferunt. neque vero minori detrimento ſibi eſſe experiuntur ſtudioſi Theologiæ

(Margin numbers: 3. beside "At Ariſtot."; 4. beside "Porro cum ad")

ignorationem Philoſophiæ Practicæ, ſiue
5. moralis, cum vix in decurſu Philoſophiæ eam primoribus labris attigerint. tota igitur Philoſophia Moralis & *Ethica, & Politica* illis prælegenda eſſet. Quod ſi in neutra parte Philoſophiæ aliquid prætermittendum, multo minus in Logica, quæ nos ſuis Methodis ad vtramque Philoſophiam munit. in qua parte primum Antonius Ber-
6. nard. Mirandulanus *Categorias* omittendas eſſe cenſuit: qui error à multis jam confutatus: & vere. Etenim Adraſtus vetuſtiſſimus Ariſtot. interpres, non illas *Antetopica*, id eſt proœmium Topicorum feciſſet, niſi partem Logicæ eſſe exiſtimaſſet. Alexand. quoque Aphrodiſ. eas vt partem Logicæ explanauit, adductus ea ratione, quam Simplicius profert. Galen. item in extremo libr. 1. Method. Therapeuticæ eum librum principium Logicæ appellat; quod & Simplic. initio ſuorum Comment. vſurpauit. Sed quid ego hos appello? ipſe Ariſtot. cum docet tertia ſect. lib. 1. de Syllogiſmo, qui Propoſitiones, vt in contextum ratiocinationis venire poſſint, in obliquos caſus ex rectis commutandę ſint, reijcit nos ad Categorias, vbi ait id à ſe explicatum. quod in prima Philoſophia nuſquam docuit. ac lib. 1. de Demonſtrat. præcipit, vt attributa in propoſitionibus ſecundum

dum naturam dicantur, quod qui fiat, non alibi, quam in Categorijs docemur. Libr. vero 1. Topicorum diſertim poſtulat Categorias multis in locis, ac reliquis etiam libris Topic. Quis igitur audebit pronunciare ante Logicam docendam eſſe primam Philoſophiam? quæ pars Philoſophiæ omnium difficillima eſt? & hoc fateri cogetur Mirandulanus cum *Categorias* in partibus primæ Philoſophiæ, non Logicæ cenſet. Quod ſi in prima Philoſophia de illis agitur; agitur quidem, vt res ſignificatæ ſunt, non quatenus voces, quæ res ipſas ſignificant. atqui Ariſtot. in Categorijs conceptis verbis proponit illas tanquam *voces*, cum ait: *Unum quodque eorum, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, aut ſignificat ſubſtantiam, &c.* 7. Quis autem a quo animo ferat libros de Syllogiſmo in ſcholis magna ex parte non explanari? Libr. 1. omittitur vulgo pars illa longe vtiliſſima de mixtione ſyllogiſmorum, in qua tantum poſuit ſtudij Alexand. Aphrodiſ. vt non contentus Commentarijs, quos ad eum locum locupletiſſimos ediderat, ſeparatim librum de eo argumento compoſuerit. Quam autem neceſſaria ea pars Medicis ad diſputationes *de ſignis, de criſi, & criticis, de diuinatione*, atque ad ipſam curationem, cum illæ fere totæ nitantur conjecturis, id eſt, propoſitionibus

corum quæ contingunt, & mixtis alijs neceſſarijs, quales ars ipſa ſuppeditat, aut abſolutis, & ſine modo ſæpe ratiocinationes complectantur, incerti qui concludendum ſit, niſi hanc artem teneant. Idem paſſim accidit Aſtronomis in vſu partis Apoteleſmaticę, quæ proprium nomen Aſtrologiæ apud pleroſque veteres inuenit. ex quo fit, vt plerunque aberrent, & in ſermones vul-
8. gi incidant. Secunda vero illa ſectio *de copia propoſitionum* quam fructuoſa. Lipſius ſane, atque ejus gregales, quanticunque ſunt, qui certe in omni genere litterarum humaniorum politiſſimi ſunt, non alia ratione fœtus illos vberrimos, & elegantiſſimos tot librorum extuliſſe videntur. Etenim dum magno ſtudio colligunt ex varijs ſcriptoribus iiſq; elegantiſſimis, tot antecedentia, conſequentia, & repugnantia cujuſque argumenti, perficiunt, vt vna cum magna optimorum ſenſuum varietate, maximas quoque opes ſermonis politioris exprimant: vt jam nemini
9. mirum videri debeat, qui Ariſt. ſuos omnes diſcipulos redderet, vt ait Strabo, eloquentiſſimos. nam cum nulli labori parcerent in hypomnematis hac ratione coaceruandis, adjuti præterea alijs inſtrumentis, & Locis Topicis, illud aſſequebantur, vt in argumento, quod perpoliendum ſuſcipiebant, mirifice abundarent: vt Theophraſt. in

Plan-

Plantarum diſputatione, & Ariſtoxenus
in Muſicis. Sed quid hos conſector, ex his
primum fontibus flumen illud aureum Elo-
quentiæ Ariſtot. manauit, quibus ille vni-
uerſam Philoſophiam, atque ejus comites
irrigauit, excoluit, atque ad tempeſtiuam,
& vberrimam maturitatem perduxit. Sed
cur in his commoror? quæ copioſe à no-
bis in libr. de vſu Logicæ diſputabuntur?
Quare ne patiamur noſtros auditores hoc
ſtudiorum fructu maximo priuari, ac nec
illo quoque reliquæ partis Priorum Analy-
ticorum, qua omnia omnium ſcriptorum
argumenta ſic penduntur, vt ad æquam ra-
tionis menſuram non ædilicio edicto, ſed
potentiori, Demonſtrationis ſcilicet, reuo-
centur. Nam quid ego dicam de altera parte 10.
Logicæ, quam Topicam nominiamus, cum
ea ita negligenter in ſcholis tractetur, vt
nec vola ejus, neque veſtigium, vt dicitur,
appareat? quod fit non ſine magno audito-
rum detrimento. Etenim ſi Ariſtot. diſpu-
tationes *de Principijs*, quæ omnium dif-
ficillimæ ſunt, methodo Topica explicat,
atque cæteras Quæſtiones Philoſophicas,
qui fieri poteſt, vt omnino abſque ea me-
thodo illæ intelligantur? Sed periculum
in vno loco faciamus: (nam in ſcholijs ad
vitam Ariſtot. alia ſubjecimus.) Diſputat. A-
riſtot. cap. *de Subſtantia* contra Platonicos,

vt ait Pletho, ſpecies ſubſtantiarum magis eſſe ſubſtantias, quam genera: quod fulcit hac ratione; *quia ſpecies ſunt propinquiores primis ſubſtantijs*: quæ ratio nititur illa maxima propoſitione libr 3 Topicor. *Quod eſt propinquius ſimpliciter tali, id eſt magis tale:* quæ locum reddit illuſtriorem, & Ariſtotelem ſua ipſius Methodo interpretatur.

11. Priuant quoque ſuos auditores maximo fructu eruditionis, qui eos Topica non docent, neque in illis exercent. Illa enim exercitatione, vt ſcribit M. Tullius, reddebat Ariſt. ſuos diſcipulos eloquentiſſimos, aut certe inſtructiſſimos ad diſputandum de quauis re propoſita in partes contrarias. Propter hanc facultatem appellat M. Tullius Ariſtot. *flumen aureum eloquentiæ*, atque idem fatetur ingenue ſe magnam partem ſuæ inuentionis Rhetoricæ ex Topicis Ariſtot. corrogaſſe. Ob quam etiam cauſam mirandum iterum non eſt, quod Strabo refert lib. 13. Geograph. Ariſtot. ſuos omnes diſcipulos eloquentiſſimos reddidiſſe. Illud mirandum potius, cur hac ætate, cum vulgo omnium pœne Philoſophorum ſtudia, vt alias artes omittam, ad Quæſtiones diſputandas magis propendeant, quam ad contextum orationis Ariſtotelicæ, aut alterius ſcriptoris explanandum, illæque non alia ratione, quam Topica diſputentur, quamuis Anali-

Analytica earum pars vera conſtituatur, cur illam partem, qua illa facultas comparatur, deſpicatui ducant. At enim ſucceſſores Ari- 12.
ſtot. & Theophr. ducentos annos, vt prodit Strabo, ſuos auditores in quæſtionibus tantum vltro, citroque jactandis exercuerunt. eſt ita, vt dicitis: non illud tamen profitebantur, quod eam rationem docendi optimam eſſe arbitrarentur, ſed quia libri Acroamatici Ariſtot. & Theophraſti illo ſæculo ſepulti Athenis jacuerant, vſque ad tempora L. Syllæ victoris, vt idem Strabo, & Plutarch. produnt: cum libris illis carerent, in quibus vere, & ex animi ſententia Ariſtot. & Theophraſt. quid de quaque re ſentirent, expoſuerant, cogebantur more, & inſtituto librorum exotericorum theſes ſolas in contrarias tantum partes diſputare. At hoc ſæculo cum benignitate Dei 13.
Opt. Max. ſuppetant nobis omnia fere ſcripta Ariſtot. & Theophr. quę decurſui Philoſophiæ perficiendo neceſſaria ſunt, neſcio quo fato hæc peſtis in omnia fere Gymnaſia graſſatur, vt Ariſtot. & Theophr. qui inſtar oraculorum illis eſſe debebant, nunquam adeant, ſemper altercentur, digladiandique nullum finem faciant. Sed à Logicis ad Philoſophiam naturalem tranſeamus. Hu- 14.
jus cum ſex partes fecerit Ariſt. initio Meteorolog. tres tantum priores vulgo tradunt

duntur in Gymnaſijs, ex reliquis tribus Meteorolog. ſcilicet, de animalibus & plantis, libri fere tantum *de Anima* explanantur non ſine magno auditorum incommodo. ex quo fit, vt qui ad medicos è Philoſophis migrant, jactitent impudentiſſime, ſe plus intra annum curriculi medicinæ, quam toto decurſu Philoſophiæ didiciſſe. quæ macula non inſediſſet Philoſophiæ, ſi omnibus ſuis partibus perfecta, & abſoluta doceretur. Hinc etiam manauit jam illa conſuetudo in ſcholas, vt qui perfecti Philoſophi euadere volunt, partem Naturalem, vt illi loquuntur, medicinę à magiſtris ejus artis diſ-

15. cant. Tota item prima Philoſophia Ariſtot. quod fieri in ſcholis non video, cognoſcenda eſſet ab ijs, qui ſe Philoſophos Peripateticos profitentur, detracto tantum libello Paſicratis, & illa anacephalæoſi lib 11. licet vtrunque vſui eſſe poſſit ad cætera rectius intelligenda. Ita non eriperetur tantum operæ doctoribus Theologię, quos ego aliquando audiui Metaphyſicam, vt vulgo loquuntur, ſuis auditoribus de ſuperiori loco explicantes: quod viderent eos ignaros ſapientiæ Philoſophicæ ad ſe venire, ſine qua vix poteſt Theologia Scholaſtica

16. perfecte percipi. In Philoſophia ad extremum Morali vtraque pars, Ethica nempe, & Politica addiſcenda. Nam Oeconomica

pars

pars eſt Politicæ, vt idem Ariſt. docet, atque Laërt. in ejus vita, & Anatolius in fragmentis quibuſdam Mathematicis. & quoniam pars Politica Ariſtot. mutila ad nos peruenit, explananda eſt ab optimo doctore Philoſophiæ pars illa, aut opera Cyriaci Strozæ, qui ex Platone, & alijs illam ſarcit, aut aliter certius ex locis ejuſdem Ariſtot. Cognita prius tamen diligenter tota ejus partis hiſtoria, atque Methodo Ariſtotelica. 17.

Dices eodem modo in Phyſiologia Ariſtot. aliquot diſputationes deſiderari: vt illam *de Animi perturbationibus* quam idem Ariſt. innuit, in lib. de ſenſu, & illam de Alimento, quam idem ſępe in libris de Animalibus pollicetur ſe explicaturum, atque illam de Sanitate, & morbo, cujus initium tantum extat, ac tandem illam nobilem de metallis, & foſſilibus, de quibus Ariſtot. & Theophraſt. multa ſcripſiſſe accepimus. 18.

Diſputatio de animi perturbationibus ſuppleri poſſe videtur ex lib. 2. Rhetoric. ejuſdem, & ex quarta Tuſcul. Ciceronis, atque libello Andronici cujuſdam de eo argumento (nam Peripateticum eum fuiſſe nunquã aſſeuerabo) atq; ex Seneca & Galeno, Laërtijq; Zenone, ea tamen conditione, vt nihil Stoicum admiſceatur, ſed mera Peripatetica doctrina: quæ poterit cumulate præſtari, ſi quis eam methodum adhibuerit præter cæ- 19.

teras

teras Logicas, quam Ariſtot. lib. 1. de Ani-
ma ad perturbationes animi definiendas
demonſtrat. Diſputationem de Alimento,
qui volet explere, præter illa, quæ ex varijs
locis Ariſtot. & Alexandri colligi poſſunt,
poterit vti opera Medicorum, dum memi-
nerit, ſe Philoſophum eſſe, non Medicum.
Quod ad librum de Sanitate, & morbo ſar-
ciendum ſpectat, proderit multum obſer-
uaſſe ea, quæ Theophraſt libr. de cauſis in
plantis de eo argumento diſſeruit, ſi ea ad
animalia quoque referat. ſed multo magis
proderunt ſcripta veterum Medicorum, &
Hippiatrorum Græcorum, & Latinorum
20. ſi fines Philoſophiæ non tranſilierit. Reſtat
diſputatio latiſſime patens de foſſilibus &
metallis: in qua duo ſpectanda videntur;
hiſtoria primum illorum, deinde cauſæ: &
quoniam Ariſtot. duo eorum genera facit,
foſſilia nempe, & *metallica*, hiſtoriam foſſi-
lium ornabit plurimum libellus de Lapidi-
bus Theophraſt. & Plin. hiſtoria Naturalis,
atque Agricola, & alij; reliquam vero ijdem,
excepto Theophraſto, cujus, vt & Ariſtot.
nihil extat de eo argumento. Cauſas vero
vtrorumque ſatis copioſe eliceret, is qui ex-
tremum lib. tertium Meteorolog. & quar-
tum attente excuteret. At enim cum cæte-
ra qui poſſint in integrum reſtitui docueris,
21. quid de methodis afferes, quæ diſputatio
vide-

videtur in Logicis prætermiſſa, & à multis magno ſtudio deſideratur: perierunt præterea octo illi libri Methodicorum, qui citantur ab eodem Ariſtot. in Rhetoricis, & à Simplic. in Comment. Categ. à Laërtio, & alijs. ac, vt de libris primum Methodicis diſputem, dolendum quidem eſt, illos perijſſe, eſt tamen conſolabilis ille dolor: propterea quod erant illi libri hypomnematici, vt docet idem Simplic. quorum auctoritate non potuiſſemus vti ad ſententiam Ariſtot. ſtabiliendam: quanquam docebant, vt poſſet parari copia propoſitionum ad omnes quæſtiones diſputandas. Sed cum ex Topicis ea ratio (vt idem ait) poſſit abunde comparari, non video, cur tantum deſiderium nos Methodicorum Ariſtot. teneat. vrgebis iterum, vt hæc ita ſint, in Logicis de Methodis nil doceri. immo omnis diſputatio de Methodis in Logicis Ariſtot. eſt abſoluta. 22.
Etenim ſi Methodus, (vt definit Alexand. apud Simplic. libr. 1. Phyſic.) *eſt habitus cum ratione rei ſibi ſubiecta.* Ratio autem omnis, aut definitio eſt, aut demonſtratio, vt ait Ariſt. libr. 1. de anima, & ex Theophraſt. idem docet Euſtat. in Comment. Poſter. Præter has autem methodos nulla alia 23.
Peripateticis nota niſi Topica, de ijſque omnibus in Logicis Ariſt. copioſe diſputatur, omnes certe Methodi in illis explicantur.

tur. at, vt iſta tibi concedamus, nemo ex Logicis Ariſtot. vnquam dicet, qui poſſit, tam varia capita, quę in ſingulis artibus docentur, conjungere, & ordine congruenti diſponere: quæ ſumma eſt, & caput Methodorum. hoc item falſum plane eſt. Principio enim Ariſt. libr. 1. de Demonſtratione, quo loco docet, quæ vna ſcientia dicatur, aperte declarat, in quaque arte, aut materia propoſita non ſolum in commune conſiderandum id, de quo agitur, verum etiam omnes ejus partes, atque ſpecies ad extremas vſque conſiderandas eſſe, atque omnia attributa, quæ illis per ſe non ſolum in vniuerſum conueniant, ſed etiam ſeparatim
24. ſingulis partibus atque formis. Quod autem ad ordinem horum ſpectat, colligi poteſt primum ex ijs, quę diſputat Ariſt. lib. 1. de Demonſtrat. de primo, & vniuerſo. Ex illis enim perſpicuum fit antecedere debere ea, ex quorum cauſis aliorum cauſæ pendeant. Deinde eodem libr. 1. tradit Ariſt. qui creſcere poſſit in quaque arte numerus demonſtrationum in longum, & in latera: qui locus aperte declarat, vt aliæ demonſtrationes ex alijs aptæ, nexæque ducantur. Poſtremo idem plane demonſtrat Ariſtot. lib. 2. cum diſputat, quæ problemata eadem dicantur: quæ omnia diligentiſſime à nobis explicabuntur in libris de

Vſu

Vſu Logicæ. Requiretur hoc loco fortaſſe, qui methodi Topicæ in artibus tradendis interponantur. Ariſtot.lib.1. Topic. ait illas interponi cum difficultate aliqua premimur in argumento propoſito, propter auctoritatem, quia valent ij, qui contra ſenſerunt. Quam ob cauſam ad conſtituendam veritatem permagni intereſt, aliorum ſententias primum labefactare. quod ſtudium magnæ laudi Ariſtot. tribuendum, licet quibuſdam prolixior propterea videatur: deinde propter rationes contrarias, quæ probabiles videntur: poſtremo ob ipſam quæſtionem,quę ſua natura difficilis,& perobſcura eſt: qualis viſa Ariſtot.illa *de mundi æternitate*. His cauſis adductus Ariſtot. interponit multas quęſtiones in Philoſophia: vt in prima Philoſophia totum tertium librum, & lib.8. Phyſicorum &.1. de Cœlo diſputat de mundi æternitate tanquam de problemate Logico. Earum quæſtionum, ac cæterarum tractationem docet Ariſtot. cumulate in Topicis. Dices, vbi in Logicis Ariſt. de illis tribus Methodis agitur, ſiue ordinibus, quorum ex Galeno tam frequens in ſcholis mentio? Sunt autem vt vulgo illæ methodi nominantur; *compoſitiua, reſolutiua, & diuiſiua.* Huic quæſtioni ita ſatisfiet: Principio *compoſitiua*, eadem eſt, atque demonſtratiua. ex ſimpliciori-

25.

26.

27.

E bus

bus namque ad ea , quæ magis compoſita ſunt atque ex generalioribus ad ſpecialiora vt demonſtratiua progreditur, vt nihil aliud plane ſit: de qua ſatis abunde in Poſterioribus diſputatum. *Reſolutiua* autem aut nihil aliud eſt; quam pædia, quam tota ars Logica præſtat, aut ſi docet tantum, vt alijs placet, quomodo ſingulæ partes artis ſint inuentæ, aut inveniri poſſint, nihil aliud plane erit, quam demonſtratiua. etenim, vt ſcribit Alexand. vt in rebus gerendis demonſtrationes ex fine ſumuntur, ſic etiam in rebus dicendis ex fine demonſtrationes eliciendæ , propter quem ſingulæ dicuntur,
28. aut diſputantur. *Diuiſiua* vero, quæ additur à Galeno, vt memoria teneamus ea, quę demonſtrata ſunt, præter illa incommoda, quæ Ariſtot libr. 1. de Partibus commemorat, plane non eſt neceſſaria ad memoriam confirmandam, vt Galenus voluit. Nam ſi quis ex præceptis Analyticis probe norit, quæ in quaque arte adhibenda, & qua ſerie, ita vt intelligat , vt alia ex alijs per cauſas ducantur, firmius memoria retinebit totam artem, quam ſi per diuiſiones continuatas , in quibus nulla ſpecies cauſarum ſæpe numero appareat , eandem tenuerit.
29. Quin & ex ſolis definitionibus quæ ex quaque demonſtratione eliciuntur, ſolaque poſitione ab illis differunt, plura , & cum vberiori

vberiori vtilitate memoria tenebit, quam
ex iſtis diuiſionum catenis. Etenim, vt tra-
dit Ariſtot. libr. 4. Phyſic. ex definitionibus
perfectis depromitur, quæ conueniant cui-
que rei, & propter quas cauſas, quæque de
quaque re dubitationes excitari poſſint, &
qua ratione ſingulæ dubitationes ſoluendę.
atque ejuſmodi definitiones noſſe eſt maxi-
ma, atque optima epitoma cujuſque artis,
& ſcientiæ, cum quis illam primum per
demonſtrationes nouerit. hac ratione non
ſolum memoria teneremus ea, quæ à ve-
teribus accepiſſemus, verum etiam eli-
ceremus ea, quæ illi ſæpe, & ſæpius ta-
cent; quod, qui inſtructi Logicis methodis
ſunt, facile efficere poſſunt. Plures item du-
bitationes in omni diſputatione excitare-
mus, ac dilueremus eas quam facillime. hi
ſunt fructus maximi, & vberrimi, qui ex
Logicis percipiuntur. quos nos copioſe in
noſtro Logicæ Peripateticæ vſu perſeque-
mur. Quare omnes Methodi perfecte diſci
poſſunt ex Logica Ariſt. niſi forte denuo re-
quiras Methodum illam Platonicam docen-
di artes per definitiones, & diuiſiones con- 30.
tinuatas, de qua ſupra ſatis diſſeruimus.
Sed quid dices de Methodis ſimilium, &
diſſimilium, ejuſdem, & alterius, commu-
nium & propriorum, quas Galen. libris de
Decretis Hipp. & Platon. vt ab Hippoc &

Platone vſurpatas prædicat? reſpondebo eaſdem plane eſſe, atque *diuiſiuam*, vt idem Galen. ſignificat, aut, ſi quid habent diuerſum, ex libris de Demonſtrat. Ariſtot. illud quoque percipi poſſe. Quapropter, vt breui complectar, ſpatium integrum curriculi Philoſophici perfecte abſoluetur, ſi tota Logica Ariſt. ſtudioſis philoſophiæ tradatur, vna cum vtraq; parte Philoſophiæ ſuis omnibus partibus inſtructa.

SVMMARIVM

CAP. IV.

De ordine partium Philoſophiæ.

1. *ORdo librorum Ariſtotelis*
2. *An à phyſicis auſpicandum*
3. *Ab Ethicis an initium faciendum.*
4. *A Logica inchoandum eſſe.*
5. *Huic moralem Philoſophiam Stoici ſubijciunt.*
6. *Sed potius Contemplatiua præcedant mox practica.*
7. *Logica duplex: Analytica & Topica.*
8. *Categoriæ an Ariſtotelis.*
9. *Logici libri & quo ordine collocandi.*
10. *Demonſtratio quid.*
11. *Liber περὶ ἑρμηνείας.*
12. *Categoriæ cur neceſſariæ?*

13. *Eas*

13. *Eas cur Adraſtus*, Antetopica *inſcribendos putarit.*
14. *Topica an præcedere debeant Analytica. Philoponus & Auicenna confutati.*
15. *Omne neceſſarium an probabile.*
16. *Neotericorum de Topicis ſententia.*
17. *Ariſtoteles Logicam in Inuentionem & Iudicium non partitur, contra atque Cicero illi attribuit.*
18. *Inuentio & Iudicium vbi tradi ſoleant.*
19. *Contemplatiuæ artes quo ordine docendæ.*
20. *Metaphyſica cur prima Philoſophia dicta.*
21. *Eius partes duæ & de ijs quæſitum.*
22. *Plutarchus quid de Metaphyſicis Ariſtot.*
23. *Metaphyſicæ prior pars ante phyſicam tradenda.*
24. *Phyſicorum partes ſex.*
25. *Meteororum ordo, an poſt libros de* Ortu.
26. *Quartus Meteororum liber qualis.*
27. *De* Ortu *libri tres.*
28. *Ariſt. interdum Conſequentia poſtulat.*
29. *Libri de Anima.*
30. *Item de Plantis.*
31. *Hiſtoria animalium.*
32. *Parua opuſcula Phyſica.*
33. *De animi perturbationibus.*
34. *De partibus animalium.*
35. *Ordo librorum omnium de animalibus.*
36. *Liber* X. *Hiſtoria animalium an Ariſtotelis.*
37. *Liber de Sanitate & Morbo.*
38. *De alimento.*
39. *De plantis.*
40. *Libri Metaphyſici de Sapientia.*
41. *Ethica & Politica.*

42. *Diu multumque Philoſophandum docetur exemplo Ariſtot. Zenonis Epicuri Amelij, &c.*
43. *Proclus biennio Ariſtot. Philoſophiam perdidicit, Syriano doctore.*
44. *Syrianus in Metaphyſica Ariſtot.*
45. *Quinquennij aut Quadriennij curſus Philoſophiæ ſit.*

Cap. IV.

Quo ordine partium in commune, & priuatim cuiuſque partis hæ artes docendæ.

1. LEuaſſet nos magna parte hujus moleſtię forſan liber ille Adraſti Aphrodiſ. vetuſtiſſimi Peripatetici *de ordine librorum Ariſt.* ſed quoniam illo frui non licet, enitendum nobis eſt, vt eum ordiné, qua ratione poſſimus, cum in commune, tum ſeparatim in quaque parte aperiamus. 1. Panætius itaque & Poſidonius
2. atque etiam Boëtus Sidonius fuerunt in ea ſententia, vt docet Ammon. vt à Philoſophia naturali tanquam è carceribus curſum Philoſophię inſtitueremus: quod ea pars cęteris facilior eſſet. hæc ratio nil efficit. Docet ſiquidem Ariſt. lib. 5. primę Philoſophię non ſemper à facilioribus eruditionis initium

tium ſumendum eſſe, niſi cum ſine illis poſteriora percipi non poſſunt. 2. Alij, quod antiquior eſſet cæteris, ab ea exordiendum eſſe cenſuerūt: vt docet Sex. Empiricus, quę ratio quoque nil efficit. nam iſto pacto Chirurgica prius docenda eſſet in partibus Medicinę: quod eſt per abſurdum. 3. Alij exiſti- 5.
marunt a Morali inchoandum eſſe, vt Diogenes Appolloniata apud Laërt. in Zenone, vt cū virtute ornati eſſemus, facilius & Philoſophiam perciperemus, & incorruptius de veritate judicaremus. Huic rationi perbelle ſatisfaciunt Ammon. & Simplic. ſi Philoſophia moralis parænetice tantū, hoc eſt per admonitiones doceretur, vt aureis illis verſibus Pythagorę, qui hac ętate etiam illuſtrati Com. Gręcis Hieroclis extant, aut carminibus Phocylidis, & Theognidis, recte quidem ab ejuſmodi inſtitutione initiū ſumendum eſſe: ſed quoniā Peripatetici Philoſophiam moralem, vt etiam alteram, quæ in contemplatione cernitur, per demonſtrationes, quantum patitur rei natura, docent, exploratum eſt nulla ratione illam ſine Logicæ intelligētia percipi poſſe. Quare verior 4.
eſt ſententia Andronici Rhodij Peripatetici, & reliquorum Peripateticorū, quam pleriq; Stoici, atq; etiam Epicurus, vt ait Sex. Empiricus, idem quoque Sex. Chæroneus, licet Pyrrhonius, & Ephecticus ſecuti ſunt, quæ-

que vulgo recepta eſt, vt à *Logica* initium
ducatur. propterea quod ipſa inſtrumenta
ſuppeditat, quibus veritas poſſit in omni
parte Philoſophiæ certo aſſeri. In eadem
ſententia fuerunt aliquot Stoici illuſtres:
Zeno nempe, Eudemus, Archidemus, vt
5. ſcribit Laërt. in Zenone. Poſt Logicam
cenſuit Chryſippus & alij item Stoici, vt
obſeruat Sext. Empiricus, proxime docen-
dam Philoſophiam Moralem, quæ quoque
ſententia in præfatione Comment. Phyſi-
corum Simplicij legitur: aliena autem ea eſt
à ratione, & à decretis Ariſtot. Etenim ſi
adoleſcentes, vt docet Ariſtot. initio Nico-
mach. vix, ac ne vix quidem adduci poſſunt,
vt virtutem exerceant, quod illi parti præ-
ter curam demonſtrationum propoſitum
eſt, certe facilior multo erit inſtitutio Phi-
loſophiæ contemplatiuæ: quę ſolis demon-
ſtrationibus contenta nihil præterea deſi-
6. derat. Quare poſt Logicam ſecundo loco
Philoſophia contemplatiua, tum Moralis
diſcenda. Neque vero ob eam cauſam po-
ſterius cognoſcenda Philoſophia moralis,
quod poſtulet intelligentiam alterius partis
Philoſophiæ. quod falſo plerique de phi-
loſophia naturali exiſtimarunt: nam quod
poſtulat Ariſtot. 1. Nicomach. duas eſſe par-
tes noſtri animi, vnam rationis compotem,
alteram vero expertem, illud diſerte ab
Exoteri-

Exotericis repetendum cenſet Ariſtot. non ex Acroamaticis, vt libris de anima, in quibus prorſus ſententiam illam de duabus partibus animi refellit. His ita conſtitutis, ſingulæ partes philoſophiæ excutiendæ, ac videndum, qui ordo in illis perdiſcendis obſeruandus ſit. Logicæ igitur, à qua ordiendum docuimus, duas partes fecit Ari- 7.
ſtot. multis in locis, vnam *Analyticam*, alteram *Topicam*, Analyticæ aſſignauit quattuor libros, duos de Syllogiſmo, & totidem de Demonſtr. è quibus corpus vnum confecit, vt conſtat ex propoſitiône ſui inſtituti libr. 1. Prior. atque ex epilogo penultimi cap. libr. 2. Demonſtrat. Alteri quoque parti Topicæ attribuit nouem libros, octo quidem Topicorum atque vnum Elenchorum, è quibus alterum quoque corpus concretum eſt, vt liquet ex propoſitione lib. 1. Topic. atque ex epilogo Elench. Adjunxerunt poſtea his duabus partibus priſci Peripatetici aliam, quã στοιχειωτικὴν, aut elementariam quidam nominarunt: 8.
quod elementa Logicę complecteretur. Cui duæ partes tributæ: vna *de Categorijs*, quam principium Logicæ, & partem illius ſupra eſſe docuimus, alteram perihermenias: cujus librum licet Andronicus neget Ariſtot. eſſe, Alexand. & cæteri Peripatetici illum 9.
Ariſtot. tanquam auctori adſcribunt Sunt

ergo tres partes Logicæ: at libri, ſi ſigilla-
tim enumeres, quindecim: in quibus docen-
dis eum ordinem optimum omnium eſſe
exiſtimo, qui vulgo ſolet obſeruari: vt *Ca-
tegorias* ſcilicet ſequatur lib. *Perihermenias*,
hunc libri *Analyticorum*, quibus ſuccedant
libri Topicor. atque illis ad extremum *Elen-*
10. *chi*. Etenim ſi de Syllogiſmo prius agendum,
quam de Demonſt. vt voluit Ariſt. quia om-
nis Demonſtratio Syllogiſmus eſt, eadem
ratione prius de eo diſſerendum erit, quam
de Epicheremate, id eſt, Syllogiſmo proba-
bili aut Dialectico, vt loquitur Ariſt. quia
omne Epicherema eſt Syllogiſmus, quamuis
non omne Sophiſma (de quo deinceps agi-
tur,) ſit Syllogiſmus, ſed illud ſolum, quod
peccat tantum in materia: & quoniam De-
monſtratio fieri non poteſt niſi de altera
tantum parte contradictionis, quæ vera eſt;
intelligendum prius eſt neceſſario, qua ra-
tione fieri debeant contradictiones in omni
11. genere Propoſitionum, vt docet libr. *Peri-
hermenias* Ariſtot. propter quam cauſam
præclare Theophraſt. libr. de eodem argu-
mento, inſcripſit *de Affirmatione, & Nega-
tione*: quaſi hoc eſſet illius operis pręcipuum
inſtitutum noſſe qui negari, aut affirmari
quicq; dicatur: quia ſæpenumero in eo pec-
catur, vel à viris grauiſſimis, nedum ab ado-
leſcentibus, & iis, qui in arte ſunt adhuc ti-
rones.

rones. Sed quia nulla Demonſtratio neque Philoſophiæ, neque cæterarum fere artium quicquam concludit niſi per ea, quæ ſecundum naturam efferuntur, neceſſarius eſt lib. Categoriarum: in quo docemur rationem loquendi ſecundum naturam, & more eruditorum. Quid? quod in diſputationibus quoque Dialecticis plerumq; peccatur hujus partis ignoratione: vt docet Ariſt. initio lib. 2. Topicor. Hunc ordinem in explanandis Libris Logicę ſecuti ſunt omnes fere Ariſtot. interpretes: vnus Adraſtus cum Categoriarum librum *Ante-topica* inſcripſiſſet, videtur exiſtimaſſe proxime poſt Categorias Topica doceri oportere ac cur hac inſcriptione vteretur, facile percipi poteſt: quod multis locis in Topicis Categoriarum cognitio omnino poſtuletur. Quæ ratio tantum illud à nobis poterit impetrare, vt ante Topica liber Categoriarum diſcatur, non illud tamen, vt continenter ante-Topica doceatur. Fieri namq; poteſt, vt eadem diſputatio duobus aut pluribus locis vſui ſit: vt illa de Virtutibus libr. 1. Rhetoricorum vtilis eſt eo ipſo loco ad rationem laudandi, quod proprium eſt ejus loci conſiliū, eadem tamen, vt inquit idem Ariſt. vſui eſt ad rationem illam perſuadendi, ex moribus oratoris petitam, quam docet idem initio lib. 2. Eadé prorſus ratione locus legitimus,

12.

13.

quo

quo Categoriæ tradendæ, eſt qui proximo antecedit lib. Perihermenias, vt ſupra à nobis confirmatum eſt: vtiles tamen quoq;
14. ſunt ad Topica intelligenda. Philop. porro, & Auicenna exiſtimarunt Topica poſt priora Analytica, ſed ante libros de Demonſtratione legi oportere. Philop. hoc argumento in eam ſententiam ducebatur. qui primum in argumentis probabilibus ſe exercuiſſet, eum facilius ad veritatis cognitionem peruenturum. Probe vero concludit, ſi exercitationem ſpectes. Nam & Ariſtot. ſemper fere diſputationes probabiles præponit Analyticis: ſed quod ad docendum pertinet, quoniam vtraque pars poteſt ſine altera explicari, nihil efficit Auicennæ alia ratio illud perſuaſit: quod probabile ſcilicet vniuerſalius ſit neceſſario. in qua latet hic error. probabile non eſt ita generalius neceſſario, vt animal homine. neque enim probabile eſt de eſſentia neceſſarij: cum
15. multa neceſſaria non ſint probabilia, diſſimillimaque ſit natura neceſſarij, & probabilis. quia probabile hominum opinione tantum nititur, neceſſarium vero natura rei, atque veritate: accidit tamen alicui neceſſario probabile eſſe, vt pleriſque Axiomatis. ita Ariſt. libr. 2, de Syllogiſmo axioma illud omnium firmiſſimum de alteru tra parte contradictionis vera, Probabile

vocat:

vocat: qua ratione latius videbitur patere Probabile, quam Neceſſarium: non tamen propterea prius de eo agendum, cum illud fortuito fiat. Recentiores quidam credide- 16.
runt Topicam partem præcedere oportere: propterea quod Inuentio antecedit Iudicium: in quo multum diſſentiunt ab Ariſt. qui nunquam Logicam in Inuentionem, & 17.
judicium partitus eſt: licet M. Tullius eam diuiſionem Ariſtot. aſcribere in Topicis videatur: quod alij ante nos docuerunt, illud tamen, vt aliquid obſeruem, videtur in ea ſententia ſubabſurdum: quod videtur poſtulare in Analyticis, nihil de inuentione, in Topicis nihil de judicio diſputari. quaſi 18.
vero ſectio illa ſecunda libr. 1. Priorum Inuentionem non profiteatur apertam ad omne genus Syllogiſmorum ſiue Demonſtrationes, ſiue Epicheremata ſint, & quartum caput lib. 1. de Demonſtrat. vt Themiſt. indicat, vt copiam parare poſſimus propoſitionum Analyticarum demonſtrat. Iam vero libro ſeptimo extremo Topico, & toto octauo, quantum Iudicij in ratione diſponendi propoſitiones ad interrogandum, & præſertim ad celandum aduerſarium, & in ordine reſpondendi. Teneamus igitur in Logicis docendis eum ordinem, quem vulgo ſchola Peripateticorum obſeruat. Pro- 19.
grediamur nunc ad partem contemplatiuam

uam Philoſophiæ: cujus, cum duæ partes ſint, vt ſupra docuimus Phyſiologia,& prima Philoſophia, videndum vtra prægredi alteram debeat. ac videtur prima Philoſo-
20. phia, quod prima ſit, primum locum obtinere debere. Hunc errorem vere depellunt explanatores, cum docent non appellari primam, quod primo loco docenda ſit, ſed quod de primis naturis, hoc eſt, de diuinis diſputet: quæ quanto celſiores noſtra natura ſunt, tanto difficiliores nobis ad comprehendendum exiſtimantur. Quare poſt Phyſicam ea pars eſt diſcenda. Illud tamen poteſt hoc loco animos noſtros ſuſpenſos,
21. & ſollicitos tenere, ſi primæ Philoſophiæ duæ ſunt partes ab Ariſtot. tributæ judicio omnium, (vt videtur) Peripateticorum præterquam vnius Nicolai Damaſceni, vna de principijs rerum, quæ in tres libros poſteriores de Sapientia rejecta eſt ab Ariſtot. altera de cognitione principiorum omnium artium, quæ reliquis libris traditur, num vtraque poſtponenda ſit Phyſiologiæ, an ea tantum, quæ de principijs rerum omnium in commune diſputat, atque ſi ea ſola poſtponenda, qui diuelli poſſit reliqua à corpore totius ſcientiæ. Ac primum, ſi Ariſtot. docet lib.7.de Sapientia ſe ibi abſoluiſſe ea, quæ in Analyticis de ratione definiendi tradiderat, videtur prior illa pars

prima

primæ Philoſophiæ proxime poſt Logicam tradenda. Deinde ſi prima Philoſophia, vt ait Ariſtot. lib. 1. de Demonſtrat. omnium artium & ſcientiarum principia conſtituit, quod præſtat potiſſimum ſua parte priori, videtur ea ante Phyſicam, & cæteras partes Philoſophiæ diſcenda. quod aperte declarat vniuerſa Phyſiologia Ariſt. cum in ea paſſim fiat mentio vocabulorum communium, vt *actus, potentia, per ſe, per accidens*, & aliorum, quibus pleræq; diſputationes Phyſicæ profligantur, & ad exitum adducuntur, neque ſine illorum cognitione perfecta, poſſunt plane percipi. At abſurdum eſſet partem vnam ab altera diſiungere. non tam alienum à ratione id eſſet: cum Theophraſt. in eo fragmento, quod ſupereſt, videatur illas ſeparaſſe. Quin & Paſicrates, cum proponit extremo capite ejus fragmenti, quod habemus de Sapientia, videndum primum eſſe quid ſit *Natura*, videtur aperte præterire totam illam partem de Principijs omnium ſcientiarum, & ordiri ab eodem principio, quod Ariſt. initio lib. 12. collocat. Nicolaus vero Damaſcenus, qui ſolus ex veteribus Peripateticis eas partes non diſiunxit ab Alexandro, Roiſio, (qui vulgo Auen Ruis nominatur) atque alijs interpretibus validiſſime exagitatur. Sunt igitur duæ partes primæ Philoſophiæ plane diſcre-

discrepantes. Dices cur illas conjunxit A-
22. riſtot. cum videantur diuerſa habere prin-
cipia, vna autem ſcientia ſit, vt idem docet,
cujus eadem ſunt principia: Reſponderem
copulatas fuiſſe, quia principia illa commu-
nia omnium artium ſunt quoq; & alterius
partis, niſi vererer iſto pacto cæteras partes
Philoſophiæ poſſe quoque vna cum prima
philoſophia conjungi: quod videtur ſubab-
ſurdum. Propter hanc perplexitatem for-
taſſe Plutarch. in Alexandro cenſuit illud
opus Ariſtot. ita degeſtum eſſe, vt nec do-
ceri, nec diſci poſſit, tantumque voluiſſe
Ariſtot. in eo ſpecimen quoddam, & exem-
plum poſteris proponere, ex quo eruditi
eam artem poſſent adhibito judicio diſtin-
23. cte deſcribere. Seponamus igitur illam par-
tem priorem, atque ante Phyſiologiam
eam doceamus, quod ipſum, & hæc ratio
jure à nobis impetrare poteſt, atque debet.
In Logicis tantum docemur de principijs
omnium artium, & ſcientiarum poſſe illa
experientia inueniri, & argumentis proba-
bilibus ratione Topica confirmari; ſed qua
ratione poſſint illa accuratius conſtitui; vt
Ammon. in Comment. Porphyr. principia
Geometriæ ſtabilit ex initijs primæ Philo-
ſophiæ: Illud vero in hac parte primæ Phi-
loſophiæ docemur. Ex his igitur perſpi-
cuum efficitur, conſulturum optime ſtudijs
Philo-

Philoſc phiæ eum, qui priorem illam partem primæ Philoſophiæ ante Phyſiologiam enarraret. Sed, vt ad Phyſiologiam, quæ 24.
deinceps ſequitur, veniamus, eam in ſex partes tribuit Ariſt.initio Meteorologicor. vnam de principijs communibus & communibus affectionibus rerum naturalium; alteram de Cœlo; tertiam de Ortu, & interitu, quartam Meteorologicam, quintam de Animalibus,ſextam de Plantis.Ac de tribus quidem prioribus omnes conſentiunt eo ordine docendas, quo vulgo in ſcholis recitantur; de quarta exiſtit aliqua dubitatio, an libr.4. Meteorologic. Ariſtot. poſt 25.
libros deOrtu continenter collocandus ſit, vt voluit Alexander, quia perſequitur qualitates tam agentes, quam patientes Elementorum,atque eorum proprietates.Hęc ratio tantũ videtur poſtulare, vt poſt libros de Ortu liber ille quartus ſequatur,non tamen continenter,quod probandum fuerat. Ob eam cauſam addit Ammon interruptũ iri diſputationem de Elementis, ſi poſt tres lib. Meteorologic. ille quartus collocetur. quod & Alexand.voluiſſe videtur.Hęc ſanè ſententia probabilior cæteris. Tria tamen vrgebunt eum, qui hanc ſententiam ſequetur.Vnum eſt,quod in Epilog lib.4.ſcribit, *deinceps diſputandum quid ſanguis,quidq́, os,ac vno verbo de partibus ὁμοιομερῶν, deinde de*

F compoſi-

cõpoſitis ipſis. Quo loco obſeruat Alex. (quicunq; ille ſit) indicari, ſequi poſt hũc lib. libros de Partibus animal. Et illud quidem ita accipio, ſequi illos quidem libros de partibus debere, ſed interpoſitis Meteorologicis. Alterum eſt, quod Ammonius apud Olympiodorum retulit ab Alexand. locum illum extremum lib. 3. de Foſſilibus à Me-
26. teorologicis quoque diuelli, & cum libris de Ortu copulari. Quę ſententia nullo modo conſtare poſſe videtur. Nam neque foſſilia ſimpliciora ſunt Meteorologicis, vt antecedere ordine naturæ debeant, neque Meteorologica poſtulant intelligentiã foſſilium, vt ordine doctrinæ prægrediantur. Iam vero, cum vtraque ex ijſdem generibus principiorum, hoc eſt ex vtraque exhalatione oriantur, præclare poſitum videtur, vt in vnam ſcientiam conueniant. Quare congruentior videtur rationi ſententia Philoponi, qui librum 4. Meteorologic. ab illo fragmento de foſſilibus inchoat. itaque lib. 4. eſſent Meteorologici, atque extremo illi quarto poſſet copioſior fieri acceſſio de metallis, & foſſilibus quam indicat Ariſt. eo loco fieri oportere. Nam quod tertio loco objici poſſet eum librum inſcribi Meteorologicum, dicerem negaturum illud liquido Philoponum, qui diſputationi tantum de foſſilibus libri quarti Meteorologicorum

indicem

indicem accommodat. Tres itaque libri 27.
eſſent *de Ortu*, vt Alexand & Ammon, cenſuerunt, & quattuor Meteorologici. Olympiodor. tamen cum tres libros de Ortu eſſe recipiat, exiſtimat quartum hunc, qui vulgo inſcribitur Meteorologic. ante ſecundum de Ortu ponendum: propterea quod non poſſunt elementa oriri alia ex alijs, quin patiantur; at quo modo agant, & patiantur explicari illo lib. 4. Fateor illa quidem diſputari libr. 4. ſed non tam Elementorum cauſa, quam mixtorum, neque tam multa poſtulari ex ea diſputatione ad ortum Elementorum intelligendum, vt requirant plenam libri 4. cognitionem. Quid? quod 28.
Ariſtot. ſæpenumero poſtulat conſequentium intelligentiam: vt 2. Sect. libr. 1. de Syllogiſ. poſtulat diſputationem illam de regreſſu in infinitum, qui non poteſt in attributis, neque in ſubjectis propoſitionum inueniri: de qua ipſe diſſerit libr. 1. de Demonſtr. Ita non interrumpetur ſeries duorum priorum librorum de Ortu, & conſtabit recte ordo horum librorum. Quod ſi quis moroſior volet retinere numerum, & ordinem libror. vulgo receptum, non repugnabo, ſi dicat 4. illum Meteorolog. eo loco poſitum, quia non tam neceſſarius cæteris Meteorol. quam diſputationi de Plantis, & Animal. copulatum autem cum Me-

teorolog. & eodem indice inſcriptum, quia vſui eſt illis, vt factum videmus, in illis quæ poſt-Categorias appellamus. De ordine porro reliquarum duarum partium exiſtit magna quæſtio, num de plantis, atque earum cauſis; an de Animalibus prius diſſerendum ſit; an de Anima prius, vt placuit
29. Auicennæ. Duo autem argumenta perſuaſerunt Auicennæ hanc ſententiam: vnum quod Anima ſit vniuerſalior plantis, & animalibus. & Anima quidem non eſt generalior illis proprie, ſed corpus animatum, de quo non diſputat Ariſtoteles in libris de Anima, ſed de Anima potiſſimum, & quæ illi conueniunt per ſe, vt idem fatetur. Alterum argumentum, quoniam de cauſa prius, quam de effectu agendum. Hoc argumentum nihil efficit: propterea quod non ſemper à prioribus natura progrediendum, vt idem Ariſtot. monet. Quid? quod ſatis experientia ipſa notum eſt, omnes motus partium tam in animalibus quam in Plantis ab Anima fieri; in plantis ad viuendum tantum, in animalibus præterea ſentiendum; in hominibus tandem præter ſenſuum exercitationem ad vſum quoque rationis, vt vix quicquam de anima præterea noſſe neceſſe ſit ad diſputationem de partibus & de
30. ortu animalium percipiendam. Hac opinione labefactata, videndum prius ne de

Plantis

Plantis, quam de animalibus vt quidam cenſuerunt, agendum ſit. Quibus, illa ſententia probatur, propterea quod à ſimplicioribus ſemper auſpicandum: quod ita eſſe fatemur, ſi reliqua ex illis ſimplicibus compoſita ſint, aut ſine illis percipi non poſſint. Animalia autem non componuntur ex plantis, poteſtque illorum diſputatio ſine plantarum cognitione percipi. Addunt aliam rationem, qua ſuam ſententiam probare nituntur: quod vt in libr. de Anima prius de facultate nutriente, quam de ſenſitiua (quæ animalium propria eſt,) diſſeritur, eodem modo de Plantis prius, quam de Animalibus diſputandum ſit. Non valet argumentum: etenim de nutriente prius diſſerit Ariſtot. quam de ſentiente, quia natura prior illa eſt, & quia poteſt ejus diſputatio ſine ſenſitiuæ cognitione percipi, poſtremo quia breuior, & facillior eſt ea diſputatio. Quæ cauſa coëgit quoque Ariſtot. vt in Hiſtoria Animalium primo ortum cæterorum animalium, vt idem ait, perſequeretur, deinde hominis, de quo prolixior diſputatio inſtituenda erat. Porro diſputatio *de Plantis* difficilior eſt, vt ait Theophraſt. quam illa *de Animalibus* qui Theophraſt. magnam partem illius explicat ex proportione, & comparatione animalium, vt ob vtramque cauſam merito præcedere debeat

diſputatio de Anima libr. vt illam collocat Ariſtot. in proœmio Meteorologic. Quam ſententiam confirmat Epheſius, & illo antiquior Alexand. (cujus Comment. in libr. Meteorologic. habemus) cum ait extremo lib. 4. de partibus *poſt illam diſputationem de Partibus Animal. dicendum eſſe.* Quoniam
31. autem Hiſtoria prius eſt tradenda, quam cauſæ (vt idem docet libr. 1. de Partibus Animal.) Hiſtoriæ libri prius cognoſcendi, deinde de Partibus Animal. non quod libri de Hiſtoria pars ſint ſcientiæ de Animalibus (continent namque ſola phænomena,) ſed quia facilius illis antea perceptis Cauſæ
32. intelliguntur. Libris de Partibus ſuccedit libr. de ingreſſu Animalium, vt idem teſtatur in extremo libr. 4. de Partibus. Hunc excipiunt libri *de Anima*, vt idem ſcribit in fine libr. de ingreſſu. nam & in libris de Hiſtor. poſt Hiſtoriam partium Hiſtoria ſenſuum, & ſomni ſequitur (de Anima namque ſeparatim nulla erat Hiſtoria neceſſaria) quæ libris de Anima,& ei finitimis reſpondet. Expoſitis libris de Anima nemo dubitat, quin ſequi debeant libri *de Senſu, de Memoria, de Somno, de Inſomnijs, de Divinatione per ſomnum*, ita vt à nobis ſunt
33. collocati. Sed quoniam Ariſt. promiſerat initio libr. de Senſu ſe in hac parte Phyſiologiæ *de Animi perturbationibus* diſputaturum,

tarum, nullus locus ei diſputationi congruentior videtur. Nam cum perturbationum ſedes ſit in appetitu, appetitus autem cauſa ſit motus animalium, de motu vero animalium omnium ſit conſentiens opinio hoc loco diſſerendum eſſe, efficitur neceſſario, vt hoc loco inſerenda ſit diſputatio de Perturbationibus animi: quam proxime ſequetur liber de Motu animalium, vt indicat epilogus libri de Diuinatione per ſomnum: poſt quem conſequentur libri de Ortu animalium vt ipſe teſtatur in fine libr. de Motu. Quod ſi dicas initio lib. 1. de Ortu ſcribere Ariſtot. poſt diſputationem de materia, & fine partium, diſputandum de earum efficiente, ac propterea videri poſt libros de Partibus ſequi debere continenter libros de Ortu, vt voluit Philoponus (aut quicunque ille ſit eorum librorum explanator Græcus) reſpondebo diſputationem illam de Partibus perfectam fuiſſe ab Ariſtot. hoc libello de Motu, in quo etiam de corde, & alijs partibus, quæ motum animalium perficiunt, agitur. Conſtabit igitur ſententia Ariſtot. recte, vt poſt explicatam rationem materiæ, & Finis perfecte partium animalium, de Ortu diſſeratur. quem ordinem comprobat quoque ſeries diſputationis lib. de Hiſtor. animalium cum poſt explicationem partium extremo libr. 4.

34.

de proprijs actionibus animalium diſſerat,
vt de ſenſu,& ſomno : deinceps vero libris
tribus ſequentibus de Ortu Animalium.
quam, & ipſe confirmat initio libr. quinti
de Hiſtoria,ſed multo accuratius in epilogo
lib. de communi motu animalium: ex quo,
35. atque epilogo lib. de Long. & breuit. vitæ
elicitur aperte ordo omnium librorum de
Animalibus qui breuius & quaſi in tria ca-
pita redactus proponitur ab Ariſtot. initio
lib.8.de Hiſt. cum ait,ſe reliquam naturam,
& Ortum animalium explicaſſe,deinceps de
vita, & actionibus cæteris diſputaturum.
Quam rationem ordinis videtur quoque
inf. 39. Theophr. in diſputatione *de Plantis* imi-
tari. Prima itaque pars eſſet de natura,ſiue,
vt alibi loquitur, de ſubſtantia animalium.
Propter ſubſtantiā ſiquidem eſt generatio,
vt ipſe docet lib.1.de partibus non contra.
Hæc pars, ſi Hiſtoriam conſideres, traditur
libris quatuor prioribus de Hiſtor.ſi cauſas,
ex quibus tota ſubſtantia animalium con-
creta eſt,id eſt materiam,& formam.De ma-
teria quidē agitur in lib. de partibus & lib.
de ingreſſu,de Forma vero in lib.de Anima:
& quoniam actiones communes omnium
pene animalium ſunt, ſenſus, memoria,
ſomnus,& motus, & corporis item atque
animæ communes,huic quoque parti attri-
buuntur. Secunda vero pars eſt de genera-
tione,

tione,cui reſpondent tres libri de Hiſt conſequentes, & quod ad cauſas pertinet, libri quinque de Ortu. reliqua vero pars eſt, de vita animalium,quæ Ortum illorum ſequitur, cui reſpondent reliqui duo libri de Hiſtor. & illi quinque qui ſuperſunt in *paruis Naturalibus* vulgo numerati.Nam decimus 36.
ille de Hiſt. aut non eſt Ariſtot. vt vere exiſtimauit Gaza, aut etiam ſi illius ſit, ad Hiſtoriam non pertinet,cum cauſas ſterilitatis perſequatur,ſed libris de Ortu potius annectendus eſſet. Quod ſi cauſas vitæ,& eorum. quæ illi attributa ſunt, attendamus,eas perſequitur Ariſt. reliquis quinq; libris.quorũ primus eſt de Longit.& Breuit. vitæ,ſecundus de Iuuentute,& Seneƈt. tertius de Reſpiratione,vt initio lib.de Iuuent. idem declarat,quartus de vita, & morte,quibus expoſitis inquit Ariſt in epilogo lib.de Long. & Breuit.vitę finem habituram methodum de animalibus & reƈte.Nam reliquus lib.de 37.
Sanitate,& morbo,merito in extremum locũ conieƈtus eſt:propterea quod ea diſputatio communis eſt Phyſiologię,& Medicinæ, licet diſſimili ratione, vt in cõfinio vtriuſq; artis videatur collocãda.Epheſius porro ar- 38.
bitratur ante lib. de Sanit.& morbo collocãdũ fuiſſe *lib. de alimento*:quia eo probe cõcoƈto ſanitas cõſeruatur,male cõtra concoƈto, aut crudo,& immiti ſumpto morbus comparatur.

paratur. Adducitur autem in eam ſententiam Epheſius, propterea quod Ariſtot. multis in locis pollicetur ſe de alimento diſputaturum. Cui promiſſo præter illa, quæ diſputantur libr. 1. de Ortu, cum diſſerit de accretione, & libris tertio, & quarto de Partibus & ſecundo de Anima, cumulate ſatis fiet in libr. de Ortu animal. ad quos ipſe idem Ariſtot. lib. 3. & 4. de Partibus diſerte reijcit diſputationem alimento: quod, & ſe in illis præſtitiſſe hic fatetur in extrem. libr. 4. de Ortu animalium: *Sed de alimento, quod intrinſecus ſumitur, atque de Ortu externo animal. dictum, & ſeparatim de vnoquoque in commune, & de omnibus.* Philop. quoque cum Ariſtot. lib. 2. de Anima reijcit diſputationem de alimento ad alios libros, interpretatur libros de Ortu animalium. cui & Simplic. aſſentitur. Reſtat vltimus locus *de Plantis*,

39. qui ex Theophraſt. repetendus eſt: ita vt prius ejus Hiſtoria, vt in animalibus cognoſcatur, quam perſequitur Theophraſt. libris decem *de Hiſtoria Plantarum*: niſi malis ad nouem illos reuocare. Deinde cauſæ illarum diſcendæ: de quibus Theophraſt. libris ſex diſſeruit. Hoc loco tan-

40. quam in extrema parte Philoſophiæ contemplatiuæ, vt ſupra docuimus, explicandi illi tres libri poſteriores *de Sapientia*,

Ariſtot.

Ariſtot. Reliqua eſt pars Philoſophiæ practicæ, in qua, quæ omnium eſt conſentiens opinio, prius Ethica tradenda, deinde continenter Politica, vt declarat aperte Ariſt. 41.
in epilogo Nicomach. nam Oeconomicam in libr. 1. Politicorum ille perſecutus eſt, tanquam primam partem ejus, quæ proprio nomine Politica vocatur, vt differat ab Ethica. Requiretur fortaſſe, ſi tam multa diſcenda in ſpatio Philoſophiæ, ma- 42.
gna pars ætatis in eo conterenda eſſet, vt, quod omnes optant, metam curſus Philoſophici contingere poſſent. Præclara vero cura. quaſi vero Ariſtoteles id curaret, qui viginti annos in Philoſophia diſcenda conſumpſit: Zeno vero, & Epicurus reliquarum duarum clariſſimarum ſectarum principes ſinguli decem & octo: Amelius autem præſtantiſſimus Academicus viginti & quatuor annos Plotinum Philoſophum audiuit, vt commemorat Porphyrius in Plotino. Plotinus vndecim annos operam dedit Ammonio, cum viginti & octo annos natus ad illum audiendum ſe contuliſſet. Chio Platonis auditor, vt ipſe de ſe ſcribit in Epiſtolis, cum vrgeretur à ſuis, vt breui tempore ſpatium Philoſophię conficeret, reſpondet minimum decennio ſe egere, vt poſſit explere Philoſophiæ curſum. O tempora noſtra miſerrima! Illi

non

non alieno ſermone, ſed ſuo Philoſophiæ ſtudia perſequentes, Grammatica, Poëtarum, & Hiſtoriarum cognitione, Rhetorica, atque Mathematicis tincti, tantum temporis in diſcenda Philoſophia collocabant; nos alieno ſermone illam cognituti, ſine cæterarum artium præſidio, vix, ac ne vix quidem percepta Grammatica, patimur biennium, aut ad ſummum triennium Philoſophorum exhedras ſectari? At nos Ariſtotelica profitemur, quæ facilius, & breuiori temporis ſpatio diſci poſſunt: quod ſint certiori Methodo, & diſtinctiori comprehenſa. Hoc, vt ita eſſe concedamus, Theophraſtus tamen, & Eudemus, & reliqui primarij Ariſtot. diſcipuli illum minimum duodecim annos audiuerunt. At enim Proclus clariſſimus Philoſophus bien-
43. nio tantum, præeunte Syriano doctore, vniuerſam Philoſophiam Ariſtot. perdidicit, vt refert Marinus in ejus vita. Eſt ita, ſed quam diſſimilis ratio. Tenebat ille probe ſtudia Grammaticæ, Poëtarum, & Hiſtoriarum, atque in Mathematicis erat perfectus. Nouerat præterea Platonica, & aliquantulum etiam Ariſtotelica, quæ magiſtro Olympiodoro, vt idem Marinus ſcribit, acceperat. Quid? quod Syrianus non
44. illum remoraretur multis tricis Quæſtionum, ſed ad ſummum Ariſtotelica illi traderet,

deret, vt idem tres libros, quos habemus Ariſtot. de Sapientia explanet. Qua ratione fieri poſſe videtur, vt quinquennio ſaltem (quod Moſchopulus ſua ætate obſeruari ſolere ſignificat) totus decurſus Philoſophiæ abſolueretur. Quod temporis interuallum, & Iuſtinianus imperator ſtudioſis Iuriſprudentiæ præſcripſit. quanquam videtur plus patenti omnium artium impertiendum. Quadriennio Hermolaus Barbarus abſoluendum putabat. Sed concedamus aliquid noſtrorum hominum præproperæ feſtinationi, dum plenum, & omnibus partibus abſolutum curſum Philoſophiæ conficiant, ac ſin minus tincti eo genere litterarum, perfuſi certe, quod ſatis plerique eſſe exiſtimant, videantur. 45.

SVMMARIVM

Cap. V.

De ratione explanandi commodo auditorum veteres Philoſophos.

1. Rei natura in Philoſophando ſpectanda.
2. Librorum Lectio perutilis eſt.
3. Auditoribus tria tradenda ſunt à Doctore, & Simplicio.

4. Elo-

4. *Elocutio tradendis artibus neceſſaria.*
5. *Analytica Methodus ſcientiarum propria.*
6. *Communia principia.*
7. *Logica & prima Philoſophia.*
8. *Magiſtro vti præſtat quam per ſe diſcere.*
9. *In quibus auditores exercendi ſint.*
10. *Virtutis Moralis definitio ex lib. 2. Ethicorum Nicomach.*
11. *Græci Codices Ariſtot. & Theophraſti interdum conſulendi.*
12. *Interpretes quoque Græci, Arabes & Latini.*
13. *Interrogandi auditores ſunt.*
14. *Topica exercitatio.*
15. *Paradigma caput primum Ariſtot. περὶ ἑρμηνείας.*

In Caput Ariſtot. περὶ ἑρμηνείας.

16. *Logicæ vſus.*
17. *Subiectum vt Nomen: prædicatum vt Verbum*
18. *Definiendi ratio.*
19. *Vox eſt genus Nominis & Verbi.*
20. *Genus & Differentia quomodo reperiantur.*
21. } *Vocum Differentiæ.*
23. }
22. *Voces an res vel notiones ſignificent.*
23. *Voces aut ſimplices aut vinctæ.*
24. *Nomina & Verba tripliciter ab Oratione differunt.*
25. *Quid inter ſe differant.*

26. *Nominis*

26. *Nominis & Verbi definitiones.*
27. *προθεωρία quæ.*
28. *Textus Ariſt. cur & quomodo conſulendus.*
29. *Optima Ariſtot. interpretandi ratio.*
30. *Accedendo ad contextum.*
31. *Summa Capitis in περὶ ἑρμ.*
32. *Genus dicendi Ariſtot. ſimplex, quale Euripidis.*
33. *Procemiorum ſeu Exordiorum munus.*
34. *Locus Metaphyſ. & Ethicorum.*
35. *Procemia cur præmittenda ex Alexand. Aphrodiſ.*
36. *Ariſtot. præfandi ratio & Methodus laudata ab Ariſtoxeno.*
37. *Scopus hic Ariſtot. duplex.*
38. *Theophraſti liber de Affirmatione & Negatione: item Eudemi περὶ λέξεως.*
39. *Ariſt inſcriptio περὶ ἑρμηνείας.*
40. θέσθαι ponere *quid.*
41. *Poſitio quid lib 1. Analyt. poſter.*
42. *Metaphora formæ quatuor ex Ariſt. Poëtica.*
43. *Philoſophi Oratio qualis eſſe debeat.*
44. Quid ſit, *pro* quæ ſit *eſſentia.*
45. *Græci Codices.*
46. *Subiectum & prædicatum.*
47. *Negatio cur hic affirmationi antepoſita.*
48. *Vox Genus Nominis & Verbi.*
49. *Quæſtionum copia infr. 117.*
50. *Vox cuius praedicamenti.*
51. *An Quantitas Ammonij textus corrigitur.*
52. *De contradictione: & dubia duo.*
53. *Reliqua Orationis partes extra Nomen & Verbum.*
54. *Dionyſio Halicarnaſſeo tres tantum Orationis artes*

partes. Ex Ariſtot. & Theodecte. Varroni duæ dumtaxat. Vide infr. 58.

55. Stoicorum de Pronominibus & Participijs opinio.

56. Priſciani ſententia & Apulei. Vide ſup. 53.

57. Eadem reiecta.

58. 59. Ariſtotelis libri paucis noti.

60. Ariſt. libri de Poëtica germani ſunt.

61. Locus in Poëticis conciliatus.

62. Aduerbia & Interiectiones.

63. Platonici in Alexandr. Aphrodiſ. inuidia flagrarunt.

64. Epitheta Ciceronis a Nunneſio collecta.

65. Nodus diſſoluitur.

66. Interiectiones.

67. Præpoſitiones.

68. Articuli & vis eorum.

69. Voces ſigna ſunt rerum, vt Scriptura Vocum.

70. Vox quomodo edatur.

71. Animæ paſſiones cur ſic dictæ.

72. Intelligere pati cur dicatur & infr. 88.

73. Notæ, ſigna, Symbola.

74. Signum & Simulacrum quid differant.

75. Nomina quomodo voluntaria.

76. Ariſt. proprietatis verborum ſtudioſus.

77. Noua nomina quomodo adfert Ariſtot.

78. Entelechia Ariſtoteli.

79. Voces an natura ſignificent.

80. P. Nigidius Rom. Pythagoreus.

81. Etymologiæ & Naturæ quantum tribuendum in verbis.

82. Platonem Proclus defendit.

83. Vt, particula.

84. Elementum & Littera quid diſtent.

85. Alti-

85. *Altera ſimilitudo Nominum, Verborum & Orationis.*
86. *Marci Varronis explicata ſententia.*
87. *Græci Codicis varia lectio.*
88. *Herminus Alexandro antiquior, vt a Porphyrio & D. Thoma refellatur.*
89. Primo, *quid.*
90. *Animi paſſiones & res.*
91. Λεκτὸν dicibile, *res & notiones.*
92. *Stoici Verborum architecti.*
93. *Artium fines non tranſiliendi. Quæſtionum plauſtra & præpropera tractatio, infr. 117.*
94. *Andronicus* Rhodius *negat hunc librum eſſe Ariſtot.*
95. *Voces ſimplices &* Oratio *quid differant.*
96. *Veritas quatuor modis dicitur.*
97. *Perſonæ tres Verborum.*
98. *Indicatiuus cum nominandi caſu verum aut falſum facit.*
99. *Compoſitio & diuiſio quid.*
100. *Epicheremata quæ.*
101. Simpliciter *præſens hic tempus deſignat.*
102. *Præſens non eſt proprie tempus.*
103. *Quam periculoſum munus Scriptores interpretari.*
104. *Ariſtarchus vates dictus.*
105. *Quæ officia Interpretum.*
106. *Ammonius & Magentinus emendati.*
107. *An omnia recte Latine conuerſa quod ignaui iactant.*
108. *Boëtij locus vitioſus.*
109. *D. Thomæ lacuna & mendum.*

110. *Criticorum opem implorat.*
111. *Philoſophi Latini emendatione quoque indigent.*
112. *Indocti Philoſophiæ Magiſtri.*
113. *Aduerbia varia.*
114 *Scribendi vetus ratio duplex.*
115. *Interpretum varia genera: & deinceps.*
116. *Homonyma.*
117. *Quæſtionum multitudo.*
118. *Auerrois Commentator dictus.*
119. *Allegoriæ.*
120. *Homeri locus Odyſſeæ* XII.
121. *Interpretandi modus adhibendus.*
122. *Qui docet & diſcit contrario incedunt ordine.*
123. *Duo olim litterarum genera ex Diod. Siculo ſup.* 114.
124. *Hieroglyphicæ Litteræ.*
125. *Anacephalæoſis.*

CAP.

Cap. V.

Qua ratione Doctor Philoſophiam, quod commodo ſiat auditorum, explanare poſsit.

DOctori Philoſophiæ illud vnum potiſſimum curandum in tradenda Philoſophia, vt res ipſas, earumque naturam potiſſimum ſpectet, non libris tantum, neque verbis addictus ſit. 1.
Hanc rationem ſecuti Ariſtot. & Theophr. non ex libris, ſed ex intimis ſenſibus Philoſophiam docebant: quos longo poſt interuallo temporis imitatus eſt in hac duntaxat ſtudiorum ratione inſignis in primis Dialecticus, atque Philoſophus Alypius, vt ſcriptum reliquit Eunapius. Etenim libri, 2.
& ſcripta ſcientiæ, & eruditioni accidere videntur, ſoliuſque recordationis gratia, vt docet Plato in Phædro, conquiri. Sed quoniam propter ingenij noſtri imbecillitatem poſitum eſt in more, conſuetudineque ſcholarum, vt ex libris Ariſtot. Philoſophia cognoſcatur, neque his omnibus, ſed tantum Syntagmaticis, enitendum præceptori optimo Philoſophiæ, vt in ſingulis interpretandis tria illa tradat auditoribus, 3.
quæ in illis eſſe oportere ex veterum ſcrip-

torum decretis obſeruauit in Commentar. Categor. Simplicius. Ea ſunt primum quidem, vt ad vnum, eundemque ſcopum totus liber referatur: Secundum, vt omnia illius præcepta apta alia ex alijs perpetua quadam ſerie eundem finem ſpectent: Tertium, vt genere quodam dicendi apto, & congruenti illi inſtituto ſint ornata. Duo priora capita plane præſtabit, qui Methodos Logicas ſingulis libris exponendis apposite accommodarit: Tertium repetendum ex præceptis Rhetoricis, ac præſertim
4. Elocutionis. quam neceſſariam eſſe ad omnes fere artes docendas ſcribit idem Ariſt. lib. 3. Rhetoric. ac ſi quod præterea procemium fuerit, aut epilogus, aut ſi qua cohortatio ad præceptiones Rhetoricas, & præſertim ejuſdem Ariſtot. eſt referenda. Neque vero pædia tantum eſt ſeparatim à ma-
5. giſtro indicanda, ſed Methodus quoque Analytica, & Topica ſeorſum demonſtrandæ, vt illam, quæ propria ſolius ſcientiæ eſt, arctius conplectatur, & memoriæ firmius commendet; Hanc, quæ opinionis eſt, exercitatione ſola contentus, ſi minus memoriter poteſt, pertractet. exponat præterea ſeparatim oportet Exempla, atque vſum, ne ea cum præceptionibus confun-
6. dat. & quoniam Ariſt. ſæpe adhibet communia principia, & attributa ex prima Philoſophia

loſophia deprompta, ea item illis oſtendendenda, vt pari induſtria illa ipſi in alijs adhibere poſſint. Porro vna quæque pars Philoſophiæ pro ſua natura eſt exponenda:
at Logica, quoniam inſtrumentum eſt reli- 7.
quarum partium, ſic explicanda eſt, vt omnium præceptionum illius vſus in commune, & priuatim proponatur. Eadem cura in priori parte ſapientiæ obſeruanda. in qua ratione adhibendi Logicam, & primam Philoſophiam ſi accurate auditores exerceantur repetitis exemplis ex vtraque
parte Philoſophiæ, fructus ille maximus 8.
ab illis facile percipietur, vt ipſi per ſe auditores magnam partem Philoſophiæ poſſint comparare: licet illud multo facilius prælucente magiſtro, aut interprete aliquo fieri poſſit. Sed quoniam non ſemper illi contingunt, neque ſemper quales optamus, permagni intereſt in hac ratione eſſe diligenter exercitatum: de qua nos in libr. *de Vſu Logicæ*, & in noſtra Epitoma *τῶν μετὰ τὰ Φυσικὰ* multa propoſitis exemplis diſſeruimus. Sed quoniam oratio noſtra, quod fieri aliter vix poteſt, delapſa eſt ad munus auditoris, de quo vltimo diſputandum, tranſeamus ad reliquas partes Philoſophiæ.
Eia igitur, quæ contemplationem ſpe- 9.
ctat, in illud magno ſtudio incumbendum,

vt rerum naturam, & cauſas attributorum,
quæ illis conueniunt, doceamus. Itaque
præponendæ auditoribus reſolutiones, aut
finitiones, quæ ex illis demonſtrationibus
eliciuntur; exercendique auditores in diſ-
ſoluendis per eas Problematis: & quoniam
in hac parte Philoſophiæ per Demonſtra-
tiones omnia fere perpetua ſerie tradun-
tur, exponendum, vt priora inſeruiant po-
ſterioribus demonſtrandis, & quo modo
ea quæ vltima exponuntur, poſſint per re-
ſolutionem ad prima vſque reuocari. de
quibus generibus exercitationum copioſe
in vſu noſtro Logicæ diſputatum. Eadem
diligentia adhibenda in altera parte Philo-
ſophiæ, illa tamen acceſſio facienda, vt quia
in actione tota verſatur, eliciamus ex ſin-
gulis præceptis, quid agere, quidque non
agere, aut vitare, & propter quas cauſas o-
porteat, adjunctis etiam, cum commodum
10. fuerit, congruentibus Hiſtoriarum Exem-
plis, vt ex definitione Virtutis moralis quæ
legitur lib. 2. Nicomach. colligemus in o-
mni actione, & perturbatione animi mo-
dum adhibendum, vitandumque & quod
nimium & quod parum: vt in exercenda Iu-
ſtitia jus ſummum, quod inſtitutum opti-
11. mos quóſque judices tenuiſſe legimus. Sed
quia libri Ariſtotel. aut Theophraſti expla-
nandi, qui multis in locis deprauati ſint,
aut

aut varia lectione affecti, conſulenda illorum varia exemplaria, & præſertim Græca, vt ex eorum contentione, & inſtituto ſcriptoris, atque ex ijs, quæ locum illum antecedunt, & conſequuntur, aut ex judicio explanatorum, aut ex alijs præſidijs recta ſcriptura approbetur, præpoſtera excludatur:
& quoniam, vt ait Eurip. *vnus vir non videt omnia*, conſulendi explanatores Ariſtot. 12.
Græci, & Arabes, qui multa ex illis mutuati, ac plerunq; ex ijs, qui perierunt, vt Roiſius in Topicis ex Themiſtio, & Latini qui & Græcorum, & Arabum opera aliquando
vtuntur. Quoniam autem munus doctoris 13.
eſt docere, non conquieſcendum illi, niſi cum probe nouerit ab auditore comprehenſum eſſe id, quod docet, atque ſemel, & iterum, ac ſæpius percontandus, dum auditor, quod propoſitum eſt, aſſequatur: quod facilius conſequetur, ſi ſe ad ſermonem patrium, & maxime vſitatum demiſerit, atque exempla ex rebus maxime notis auditori repetiuerit. vtrunque pręſtat egregie M. Tullius in ſuis Topicis. In illis au- 14.
tem, quæ ad pædiam pertinent, & ad diſputationes Topicas, vt in aliorum ſententijs refellendis, ſępe continédus, & aſſidua exercitatione auditor, quoad expedite illud præſtare poſſit: quod & alibi monuimus; quia permagni intereſt, vt auditor teneat facul-

 tatem

tatem accommodandi præceptiones Logicas: quam facillime comparabit, ſi nouerit accurate, vt Ariſtot. & Theophraſt. & alij egregij Philoſophi Methodis Lo-
15. gicis vtantur. Sed vt perfectius intelligatur, hæc diſputatio, quæ magni momenti, & ponderis eſt, periculum illius faciamus in aliquo capite Ariſtot. Sit igitur illud primum caput libr. *Perihermenias*: nam cum ille liber male audiat apud veteres ob inſignem obſcuritatem, clarius apparebit, quanta vis ſit hujus Methodi. Omiſſis itaque τοῖς προλεγομένοις ejus libri, quæ longum eſſet perſequi, doceamus primum quaſi addicti non eſſemus ſcriptis Ariſtot. totam diſputationem illius Capitis, eamque Methodo Logica eliciamus.

Inter-

Interpretationis ſpecimen,

Siue

EXPLANATIO
PRIMI CAP. LIB. PERI-HERMENIAS expreſſa Methodis Logicis, atque ex decretis Ariſtotelis.

LOGICÆ igitur ex ſententia veterum Peripate- 16
ticorum nihil aliud propoſitum eſt, quam parare facultatem, qua quis poſſit, quæ vera ſunt in quaque arte, & ſcientia, quatenus illarum patitur natura, & præſertim in Philoſophia Demonſtratione elicere, & confirmare. cumque Demonſtratione, quę Syllogiſmus eſt, conſtituatur vtra pars quęſtionis, id eſt contradictionis propoſitæ vera ſit, affirmatiuane, an negatiua, neceſſario primum ratio cognoſcenda, qua hæ partes certo diſcernantur, ne aliud concludamus, quam quod nobis propoſitum: in quo vehementer peccaretur. & quoniam affirmare, & negare eſt ſuam ſententiam de

re aliqua pronunciare, quod ſit oratione modi indicantis, videndum principio quid *Oratio* ſit, & quæ ejus formæ: vt quid ſit *Pronunciatum*, aut Enuntiatio, quam hoc loco quærimus, colligatur. Sed quia is, qui enunciat ſuam ſententiam de re aliqua, aſſerit hoc illud eſſe, aut non eſſe, atque
17. duas res conjungit, vnam, quæ ſubjecta eſt, de qua altera dicitur, alteram, quæ de re ſubjecta effertur, illa *Nomen* appelletur, quia nomine ſuo appellat, id de quo agitur, hæc vero *Verbum*, quia ſemper illud, quod de altero enunciatur, aut Verbum eſt modi indicantis, aut Verbo ejuſdem modi annexum. Quare cum partium cognitio prior ſit totius cognitione, videndum initio quid *Nomen*, quidque *Verbum* ſit. Quapropter, vt rationem affirmandi, & negandi certo noſſe poſſimus, intelligendum antea quid *Enunciatio*, quid-
18. que *Oratio* ſit. Atque ad hæc intelligenda quid *Nomen*, quidque *Verbum* ſit primum omnium obſeruandum. Hæc autem præſtari non poſſunt ſine ſingulorum definitionibus: quæ cum conſtent genere, & differentijs, genus primo, & differentiæ horum inueſtigandæ. Cumque genus primum locum teneat, neque quoduis genus, ſed proximum cujuſque rei quærendum ſit, vt poſitum eſt in præceptis Logicis, aut certe, ſi nomen

nomen illi impoſitum non ſit, commune
genus addita proxima differentia, primo
genus horum quattuor vocabulorum inue-
ſtigandum eſt. Sed quoniam in præceptis
primæ Philoſophię poſitum eſt, vt in his,
quę fiunt arte, aut hominis ingenio materia,
aut ſubjectum loco generis adhibeatur, vt
ſella eſt lignum ſic fabrefactum; hæc autem
quatuor vocabula hominum inuenta ſint,
reponenda erit pro genere, illorum mate-
ria: quæ, vt docent Phyſici, *Vox* eſt. Omniũ 19.
namq; quę loquimur, atque vniuerſi noſtri
ſermonis ea materies eſt. è qua veluti ex
ligno ſtatua, ſic cum varie informatur, *No-
mina, Verba*, & cętera conficiuntur: vt addi-
ta varietate caſuum, generum, & aliorum
Nomen fit, vt docent Grammatici; at tempo-
rum, & perſonarum varietate adhibita, *Ver-
bum* redditur. Sunt & in Methodis Topicis 20.
duo inſtrumenta ad genera, differentias in-
dagandas: vnum ſimilitudinis, quo genera,
alterum diſſimilitudinis, quo differentię in-
ueſtigantur. ſumamus ſimilitudinem in vo-
cibus, de quibus agimus, & in earum notio-
nibus quas ſignificant, atque in earum ſcri-
ptura, qua notantur: quæ quia in tribus
terminis cernitur, *Analogia conjuncta* à Ma-
thematicis appellatur. quemadmodum igi-
tur nomina, & verba ſcripta, (eadem ratio
de cęteris) ſignificãt ea, quę pronunciantur,

ſic

ſic nomina, & verba, quæ proferuntur, declarant notiones ſibi ſubjectas. ex qua ſimilitudine fit, vt vox ſignificatiua illorum, de quibus agimus, genus merito cen-
21. ſeatur. Sed quoniam vocum multæ ſunt differentiæ, ex illis quoque horum vocabulorum differentiæ elicientur. Sunt autem hæ vocum ſignificantium diſſimilitudines. vna quidem voces aliæ idem valent apud omnes gentes, vt vox ſuſpirij, & gemitus; aliæ diuerſa apud varias gentes ſignificant, aut etiam aliquando nihil: vt hęc vox homo quid apud Romanos efficiat, notum eſt: quæ tamen apud Græcos, & alias gentes, aut nihil declarat, aut certe diſcrepans ab ea notione, qua Romani illam vſurpant. Illa differentia, quæ apud omnes nationes idem valet, naturalis jure vocatur: quod omni pœne loco ſui ſimilis ſit, altera vero, quæ pro varia gentium conſuetudine varie commutatur, ex inſtituto appoſite ſignificare dicetur. Hæc differentia ex inſtituto ſignificandi, cum illis quatuor ex ęquo conueniat, erit genus periphraſi expreſſum illorum quattuor, *vox ſignificans ex inſti-*
22. *tuto*. Dices: in Categoriarum expoſitione docueras vocibus ſignificari res ipſas, nunc notiones ais ſignificari. Nullas turbas hæc oppoſitio dabit. etenim vtrumque eodem reuoluitur. Nam voces interuentu notio-
num

num res ipſas declarant: quia notiones nihil aliud ſunt, quam rerum ipſarum ſimulacra, neque aliud eſt intelligere quam rei ſubjectæ imaginem mente complecti. hoc qui fiat, & cujuſmodi ſit, Phyſici docent, cum de Anima diſputant. genere igitur inuento quæramus differentiam ex diſſimilitudine. ea itaque talis erit. Vocum, vt & notionum, aliæ ſimplices, aliæ junctæ. quæ ſic differunt: ſimplices nunquam per ſe verum, neque falſum ſignificant; conjunctæ licet illis hoc quoque contingat, tamen ſi copulentur cum verbo modi indicantis, ſemper aut verum, aut falſum declarant.
Quod autem ſimplices voces neque verum, 23.
neque falſum ſignificent, argumento ſunt nomina compoſita, quæ quia propius accedunt ad orationem verum, aut falſum videntur poſſe ſignificare. neutrum tamen declarant ipſa per ſe, niſi addas aliquod verbum modi indicantis, cujuſcunque temporis fuerit: quin, & ſi nomen compoſitum ſit ex illis, quæ commenticium aliquid declarant, quodque in rerum natura non cohæreat, neutrum per ſe ſignificabit, niſi illi adjungatur verbum aliquod modi indicantis. Quare nulla vox, neque notio ſimplex ipſa per ſe verum, aut falſum ſignificabit. in hac diſſimilitudine includuntur duæ differentiæ: vna qua differunt Nomina,

na, & Verba, hoc eſt ſimplices dictiones ab Oratione, altera, qua diſcrepat Enunciatio
24. à cæteris orationum formis. Prima igitur eſt ejuſmodi: hoc differunt Nomina, & Verba ab Oratione, quod nulla pars illorum per ſe aliquid declarat, cum ipſa per ſe neq; verum, neque falſum vnquam ſignificent: Orationis vero partes aliquid declarant, vt hujus orationis, *Homo ambulat*, vtraque pars aliquid per ſe ſignificat: Illius vero nominis *homo* partes, *ho*, ſcilicet, & *mo*, nil declarant, vt neque partes illius verbi *ambulat*. Secunda differentia eſt, qua differunt orationis modi indicandi ab orationibus reliquorum modorum. Illæ ſiquidem veræ continuo, aut falſæ ſunt; hæ autem, neque veritatem, neque mendacium vllum declarant, ſed affectum tantum quendam animi, aut aliud quid: vt *utinam viderem*, optationem; *ſi legerem*, conditionem. Ex ratione porro, quam ſupra confirmauimus Nomina, & Verba per ſe neque verum, neque falſum ſignificare, elicitur tertia diffe-
25. rentia, qua differunt Nomina à Verbis. ea eſt ejuſmodi: *Verba* præter ſignificationem propriam, temporis quoque alicujus ſignificationem ſubijciunt: vt *ambulat* ſignificat ambulationem, non ſimpliciter tamen, ſed cum adjunctione temporis præſentis. at *homo* ita declarat rem ſibi ſubjectam, vt

præciſa

præciſe illam ſignificet ſine vlla temporis acceſſione. His ita conſtitutis, quod propoſitum fuerat his inſtrumentis, facillime colligentur definitiones ipſæ quatuor illorum vocabulorum, Nominis quidem: *Nomen eſt vox ſignificans ex inſtituto, cujus nulla pars ſeparatim aliquid declarat, & ſignificans ſine temporis adiunctione. Verbum* autem *eſt vox ſignificans ex inſtituto, cujus nulla pars ſeorſum aliquid ſignificat, ſed ita ſignificans, vt acceſſione aliqua temporis facta indicet rem à ſe ſignificatam nomini conuenire, aut non conuenire. Oratio* vero eſt *vox ſignificans ex inſtituto, cujus partes ſeparatim aliquid declarant, vt quæque dictio. Enunciatio tandem eſt oratio, quæ verum, aut falſum declarat.* Hujuſmodi præmunitionem, quæ antecedit contextus Ariſtotelici explanationem, quidam Græci interpretes προθεωρίαν, quaſi dicant *antecedentem contemplationem*, nominant, quæ ſi plena, & omnibus ſuis partibus abſoluta proponatur, quod ad ſcientiam comparandam pertinet, nihil opus eſſet textus Ariſtotelici cognitione, ac ne explanatione quidem. Sed propter ingenij noſtri infirmitatem Ariſtotelé tanquam oraculum terreſtre ſapientiæ conſulimus: vt illius auctoritate veritas magis aſſeratur. Hęc vna conſuetudo

26. 27. 28.

noſtra

noſtra ſtudia remoratur, efficitque vt ſero ſingularum artium perceptionem comparemus. Etenim præter aliás curas,& moleſtias, quas nobis exhibet hæc textus explanatio, vt ſitne lectio integra, an contaminata, ſitne locus Latina oratione recte deſcriptus, ſubeunda eſt cogitatio illa ardua, & difficillima, ac periculis multis,maximiſque referta, diuinandi mentem Ariſtot.aut alterius ſcriptoris. Ex qua cogitatione oriuntur tot, tamque diſſentientes explanatorum ſententiæ, cæterarumque diligens confutatio, dum in ea, quæ nobis probabilior videtur, acquieſcamus. Huic curæ illa
29. non leuior, ſed multo grauior adjuncta eſt, quæ ratio optima ſit interpretandi Ariſtotelis. cui etſi videtur ſatisfactum breui, & vere, vt Ariſtot. per ipſum illum interpretemur, tamen hoc ipſum alij aliter accipiunt. Credunt plerique tunc Ariſtot. eo modo explanari, cum multas ſententias ejuſdem ex alijs locis repetitas inculcant, & coaceruant. in quo non vident, quot denuo labores ſuſtinendi: vt ſitne ex Ariſtot. an alterius ſententia illud vſurpatum; obiterne, an ex profeſſo; ſitne ex libro germano illius locus depromptus, ac ſi germanus fuerit, ſitne ex libro Exoterico, in quo parum eſt firmamenti; an ex Hypomnematico, in quo multo minus eſt auctoritatis.

iſtum

iſtum aceruum locorum conſequitur alia ſollicitudo, qui loci inter ſe pugnent, vt componendæ eorum diſcrepantes ſententiæ. in has quoque curas ſe immitit ambitio, qua dum volumus videri cæteris ſapientiores, imprudentes in Sophiſtarum gregem nos conijcimus, ac ſæpe, quod turpius eſt, ſordiſſimorum; vt ſpe vilis lucelli multa inculcemus, quæ ſunt ab inſtituto ſcriptoris longe aliena. Sed his omiſſis, quibus Deus Opt. Max. medicinam, vt poteſt, faciat, nos Ariſtot. caput conemur exponere congruenter prȩceptionibus trium artium, 30.
quibus ille ad artes, & ſcientias condendas vti nos voluit, nempe Logicæ, primæ Philoſophiæ, & Rhetoricæ, & aliquando Poëticæ; quia in Rhetoricis poſtulat aliquid Poëticæ, præſertim in præceptis Elocutionis. Veniamus igitur tandem ad ſcriptum Ariſtot. Latine quidem expreſſum, vt vulgo in ſcholis vſitatum, ſed candide, & ſimpliciter, neque ex alicujus interpretis ſenſu: ne multum operæ nobis eripiatur: dum judicium de illius interpretatione facimus. Sic ergo loquatur Ariſtot. ſermone Latino; ſin minus, polito ſaltem ſatis ad id quod volumus. *Primum ponere oportet quid Nomen, & quid Verbum, deinde quid eſt negatio, & affirmatio, & Enunciatio, & Oratio.* 31.
Hæc eſt propoſitio breuis totius libri: qua

mens Ariſtot. in hoc libro quæ ſit, apparet, quaſi plane dicat: ſtatui in hoc libro docere, qua ratione ſine illo errore, & diſtinctè poſſit quiſpiam in omni diſputatione affirmationes, & negationes conficere. Quod, vt facilius fiat, quid ipſæ, quidque earum partes, & genera ſint, explicabo. Sed quo-
32. niam Ariſt. exiſtimabat more, & inſtituto antiquitatis illius eruditæ parum decere ſuam auctoritatem atq; grauitatem rei ſubjectæ ejuſmodi genus dicendi tam facile, tãque populare; ex altera vero parte videbat ad docendum nihil accommodatius eſſe ſermone quotidiano, & populari, imitatus Euripidem, qui primus hujus artificij, (vt ipſe tradit in Poëticis, & Rhetoricis) auctor fuit, ita temperauit ſuum genus orationis in omnibus fere ſuis ſcriptis, vt ſermone pœne plebeio vtens ſuam, & artis, quam profitebatur, dignitatem quam maxime fieri poteſt, tueretur. Hanc rationem conſilij qui animaduertũt, cumulate ſatisfacient Phrynicho Grammatico Græco, & alijs, qui genus ſcribendi, quo Ariſt. & Theophraſt. vſi ſunt, vt minus Atticum, improbarunt. Sed his omiſſis locum Ariſt. ex ejus decretis ex-
33. cutiamus. Proponere breui ſummam rei, de qua agendũ eſt munus proprium Proœmij, ſiue Exordij, vt idem Ariſtot. tradit lib. 3. Rhetoricor. Hæc itaq; propoſitio erit vere

proœmium

proœmium huius libri, vt illam appellat hoc
loco D. Thomas. Sic Ariſt. *proœmium* vo-
cat lib.1. de Sapientia, initio libr.2. quia in 34.
illo docet, quid propoſitum eſſet toti arti, &
qua Methodo perſequendum, & ad quem
vſque finem, vt perfecte, aliter quam priſci
antea fecerant, traderetur. In Nicomachicis
item lib.1. poſtea quam docuit, quod eſſet
inſtitutum totius Philoſophiæ moralis, &
qua ratione, & quibus ea ars diſcenda eſſet,
illum locum *proœmium* eſſe totius artis di-
ſertim teſtatur. Simplicius autem, vt alia
omittam, primum quoque caput libr. 1.
Phyſic. propter eandem rationem *proœ-
mium* appellat. Hanc conſuetudinem pro- 35.
ponendi initio librorum & diſputationum
id, de quo diſſerendum eſt, rectam eſſe con-
firmat acute, & vere Alexand. in Comment.
lib.1. Priorum hoc modo. Vt in rebus pro-
be gerendis initium demonſtrationis ex fine
petendum eſt; ſic in ijs, quæ dicenda, aut
diſputanda recte ſunt, initium ex fine repe-
ti oportere. Nam vt finis principium eſt,
propter quod res bene geruntur, ſic & idem
principium eſt, propter quod diſputandæ
ſuſcipiuntur. Ab eo igitur tanquam à
capite, & principio exordiendum. Hanc
rationem fulcit illa ſententia Ariſtot. ex
libro 9. primæ Philoſophiæ, *Omnes no-
ſtras actiones ex fine petendas.* Earum au-

tem actionum vna, nec minima quidem eſt diſputatio de quauis re ſuſcepta. Addit Alexand. aliam rationem ſuperiori, permagni intereſſe, vt tam is, qui docet, quam is, qui diſcit, à principio ſcopum totius libri teneat, vt judicium certum facere poſſit de ſingulis artis præceptionibus, quo referendæ, & cui vſui ſint: ne accidat illis, quod ijs, qui iter facturi, ignorant, quo proficiſcantur. iſto enim pacto ſæpe, & multum peccarent. Hæc ratio videtur deprompta ex initio libr. 3. de Sapientia. Ariſtoxenus
36. quidem diſcipulus Ariſtot. in Harmonicis prodit Ariſtotelem hac in parte longe anteponendum fuiſſe Platoni. quod Ariſtot. ſemper proponeret aperte, id de quo eſſet diſputaturus.

His ita conſtitutis, verba Ariſtot. perpendamus, vt quę mens illius ſit in hoc lib. col-
37. ligere poſſimus. Duplicem itaque ſcopum videtur Ariſtot. hoc loco aperuiſſe: vnum, ac loco quidem priorem, licet dignitate poſteriorem, ſe ſcilicet diſputare primum velle de *Nomine*, & *Verbo*, tanquam de partibus Enunciationis, ſine quibus illa percipi non poteſt. Alterum, qui dignitate antecellit, ſe diſſerere velle de Enunciatione, ſed potiſſimum de ejus formis, *Affirmatione* nimirum, & *Negatione*: vt qua ratione affirmare quicque aut negare debeamus, certo intel-

intelligatur. Duabus autem illis particulis, *primum*, & *deinde* videtur vtrumque diſtinxiſſe. Scopum præcipuum hujus libr. præ ſe fert clarius inſcriptio ejus libr. quem Theophraſt. Ariſtot. auditor, & ſucceſſor de eodem argumento edidit inſcripſit namque librum *de Affirmatione, & Negatione*: quæ inſcriptio verius declarat hujus lib. inſtitutum, quam illa Eudemi ejus condiſcipuli de eodem argumento περὶ λέξεως, id eſt *de Locutione*, quæ latius patet, vt conſtat ex Poëticis Ariſtotelis. 38.
39. Index quoque hujus libri Ariſtotelici late patet. nam περὶ ἑρμηνείας idem valet, quod *de interpretatione*, hoc eſt, *de Oratione*, vt Aſpaſius, & Alexander vere explicant, quamuis repugnante Porphyrio: non tamen de quauis oratione, ſed de Philoſophica tantum, aut Logica accipiendum, vt prudenter monuit Alexander. Redeamus ad verba Ariſtotelis.

40. *Primum ponere oportet.* Coaceruant hoc loco interpretes multas notiones ſubjectas verbo *ponendi* Græco, quod eſt θέσθαι, & nomini *poſitionis* apud Ariſtotelem. quæ ſignificationes, etſi vere quidem obſeruantur, illud tamen, ſi ad viuum reſecetur, non video, ſit ne vſque quaque certum, cujus cauſa illæ notiones collectæ: nempe *ponere*, hoc loco idem valere, quod *definire*. Etenim ſi

hoc ita ſit, non erat neceſſe addere illud *quid ſit*, niſi dicas Ariſtot. induiſſe perſonam Poëtæ, & pleonaſmo vſum, cujuſmodi illud, *hiſce oculis vidi*, & *ore locuta eſt*. quod genus orationis longiſſime abeſt à grauita-
41. te Philoſophica. Melius illud obſeruaſſent, & congruentius huic loco Ariſtot. libr. 1. de Demonſtrat. appellare *poſitionem* genus quoddam principij, quod traditur à magiſtro, & creditur à diſcipulo ſine vlla demonſtratione, breui quadam explicatione tantum contentum, ejuſque duas eſſe formas, vnam Definitionem, alteram Hypotheſim. quare hoc loco *ponere* ſignificat ſine demonſtratione explicare, aut vno verbo, *poſtulare*, in quo apparet Metaphora illa primi generis, de qua Ariſtot. in Poëti-
42. cis. Sunt enim apud illum quatuor Metaphorarum formæ: è quibus prima, cum generale pro ſpeciali vſurpatur, vt hòc loco *ponere*, quod multis alijs modis dicitur, pro *poſtulare*. ejuſmodi autem Metaphoris, atque epithetis, & alijs generibus nominum aſperſis in ſermone etiã quotidiano, comparatur ὄγκος, id eſt fit oratio *grauis*, & à plebeia conſuetudine diſcedit, vt docet
43. Ariſtot. lib. 3. Rhetoric. Talis autem eſſe debet Oratio Philoſophi. Nam, vt intelligi poſſit, quod propoſitum eſt docenti, oportet illam popularem, nõ Poëticam eſſe: quod

quod reprehendit in Empedocle Ariſt.lib.2. Meteorolog. ac nedum popularis ſit demiſſa, & abjecta reddatur, excitanda eſt Metaphoris , & alijs hujuſmodi nominum formis, vt docet quoque Hermogenes in Idea τῦ ἀξιώματος, id eſt dignitatis, aut auctoritatis vt nos conuertimus in noſtris Inſtitutionibus Rhetoricis. ſed hoc ſatis ſit ſemel obſeruaſſe de ſermone Philoſophorum, qualis eſſe debeat. Procedamus porro: *quid nomen,&c.* ipſum *quid* poſitum hic pro *quod ſit eſſe*, id eſt, quæ ſit vis, & natura, aut preſſius, *quæ ſit eſſentia.* quod Græce melius dicitur vſurpatum eſſe τὸ, τί pro τὸ τί ἦν εἶναι, vt loquitur proprie Ariſt. Etenim, vt vere diſputat Alexand. lib.1.Topic. contra Antiſthenem, & aliquos Stoicos definitio non explicat tantum, quid ſit , quod eſt generis proprium, ſed quod ſit eſſe rei. Erit igitur & hæc Metaphora primi generis. nam generalius eſt ſignificare quid ſit, quam quod ſit eſſe rei. Vides igitur in hoc genere loquendi quam breuis ſit Ariſt. Nam cum dicturus eſſet , quod ſit eſſe nominis, tantum extulit *quid ſit* præciſe. Hæc ratio ſcribendi præter alias reddit Ariſt. breuē, ac proinde obſcurū, & grauem, vt anteà docuimus. quę tamen vulgo ignota eſt: quod Eloquentiæ ſtudia negligentiſſime tractentur, 44.

& quod dolendum, deſpicatui ab ijs, qui ſe Philoſophos profitentur, ducantur. Dicet
45. aliquis illud *oportet* non legi in Comment. Ammonij Græce edito ab Aldo. quanquam Paul. Manut. in editione ſua illud addit. veriſimile eſt illud librariorum negligentia omiſſum fuiſſe, alioqui Interpretes Græci, vt initio Priorum illud annotaſſent, ellipſi Attica prætermiſſum fuiſſe. Enimvero in omnibus M M. S S. Græcis, & Latinis, atque in libris cuſis, quos vidimus, diſertim legitur illud *oportet*. Torquet hoc loco Interpretes illa cura, quo ordine hæc ſex vocabula collocata fuerint. ac de *Nomine* quidem, & *Verbo* ſupra ſatis expoſitum, cur reliquis præponenda ſint, ſed cur *Nomen Verbo* anteponatur, illa ratio in promptu. Con-
46. ſtat ex Categoriarum diſputatione, cum ſecundum naturam loquimur, ſubjectum præire, attributum ſequi. quanquam ſect. 2. lib. Perihermen. & in libr. Priorum alia ratione hic ordo inuertitur. Nomen autem vim ſubjecti obtinet, Verbum vero ejus, quod de altero dicitur. Hæc igitur duo eodem ordine proponit, quo illa perſecuturus eſt. reliqua quatuor ita digerit, vt in extremum locum conferat ea, de quibus prius diſputaturus eſt. vt ſolet breuitati conſulens, ne moleſtiam lectori iteratione exhibeat. Quod & Ammon. hoc loco innuit,

& explanatores obſeruant ab eodem factum in propoſitione illius diuiſionis in Categoric. *Illorum quæ dicuntur alia cum complexione, alia ſine complexione dicuntur.* aliæ rationes, quæ hic afferuntur ab Interpretibus fruſtra ſunt. Requiret fortaſſe aliquis, vt 47.
hæc ita ſint, cur Ariſtot. Negationem præpoſuit Affirmationi. Hunc ordinem fortaſſe ſecutus eſt, propterea quod illud potiſſimum propoſitum huic libro, vt rationem conficiendi negationes, quæ obſcurior eſt, diſcamus. mitto alteram rationem, quam affert Syrianus, quod leuior videatur. Quærunt præterea illud Interpretes, 48.
quid ſit cur Ariſtot. non expreſſerit in hac propoſitione, quid ſit *Vox*, cum vtatur illa loco generis in definitionibus Nominis, Verbi, atque Orationis. Reſpondent ijdem vere *Vocem* non eſſe horum genus, ſed loco tantum generis poſitam, atque materiam illorum potius eſſe, vt idem docet lib. 5. de Ortu animal. ac propterea de ea non fuiſſe magnopere laborandum. Quod ſi pertenderis ſaltem definiendam fuiſſe hoc loco, quando ea vtitur Ariſtot. loco generis: Satisfaciunt quoque vere huic quæſtioni definitionem illam *Vocis* ad Phyſiologiam pertinere, neque longius progrediuntur. Si quis tamen ſcrutari illud quoque cupiat, cur ad Philoſophum Naturalem illa

reijciatur. dicerem propter motum, & materiam, quæ principia Phyſiologiæ ſunt: quarum mentio fit in ea definitione, cum dicimus, *Vox eſt ictus ore animalis prolatus*, &c. Itaque limites Logicæ tranſiliret, qui *Vocem* iſto pacto definiret. Petrum quidem Hiſpanum, & alios ejus ſectatores induxit in eum errorem ignoratio Analyticorum. In idem tamen erratum inciderat Xenocrates ſecundus Platonis in ſchola ſucceſſor, cujus & ipſe Ariſt. illum accuſauerat, vt ſcriptum reliquit Porphyr. in Comment. Harmonicorum Ptolemæi. neque enim licet de genere in genus tranſire in tradendis artib. vt docet idem Ariſt. lib. 1. de Demonſtr. de quo nos copioſe diſſeruimus in lib. de Vſu Logicæ. Porro Interpretes non acquieſcunt in his quæſtionibus ſed illam præterea ſuggerunt, ſi *Vox* genus horum nõ eſt, ecquod erit illorum genus. hæc quæſtio tranſilit item terminos hujus loci, ac proprie ſpectat ad lib. Topic. ſi diſputanda ſit in contrarias partes, aut certe ad libr. Categor. ſi planius ad exitum perducenda eſt: quam etiam explicant ejus lib. explanatores. Hæc
49. autẽ altera cauſa eſt, cur in immenſum Philoſophię decurſus, atq; aliarum artium progrediatur, & vix, ac ne vix quidem vllus ad exitum vllius artis, nullis intermiſſus ejus partibus perueniat. Compediti namq; tot, tantiſ-

tantiſque catenis Quæſtionum, ſe nullo modo ex vno loco eximere poſſunt. Quod ſi 50.
quem cupiditas tanta premit intelligendi cujus Categoriæ *Vox* ſit hoc eſt ad quod genus ſummũ referatur, vnde expedite, quod proximum eſt, poterit elici, quando præfati ſumus, illud alieno loco fieri, dicemus Vocem, qua ex animo proficiſcitur, ad Actionis Categoriam pertinere, qua in aëre recipitur, ad Paſſionem referendam. Quod autem ad pronunciationem ſpectat; qua ex parte contenditur, aut remittitur, quod eſt Harmonicæ, aut celerius, & tradius profertur, quod eſt Rythmicæ, ad Quantitatem reuocandam; Quatenus poſtremo ſigillum eſt proprium alicujus notitionis, vt hic conſideratur, cum ſymbolum illam nominet Ariſtot. in cenſu quartæ ſpeciei Qualitatis locandam. atque hæc eſt de genere ſummo *Vocis* omnium prope Interpretum in Categoriarum explanatione ſententia. Quam 51.
cum memoria repeto, miror, qui poſſit conſtare locus ille Ammonij, qui illam hoc loco ad Quantitatem refert. Librarij tamen erratum puto, qui lapſus facilior eſt, vt alibi à me obſeruatus in libris vulgatis Græcorum interpretum, vt *ποσόν* pro *ποιοῦ* nomine, id eſt *Quantitatis* pro *Qualitate* irrepſerit. Sed de *Voce* nimis multa. Ad- 52.
dunt interpretes, cur item contradictionis nulla

nulla facta in hac propoſitione mentio.
Hanc dubitationem vere diſſoluunt, propterea prætermiſſam, quia partibus illius cõmemoratis, hoc eſt affirmatione,& negatione,facile percipi poterat. Dices: 1. quî, cum Ariſtot. in Categorijs diſputauerit de ſimplicibus dictionibus, cujuſmodi ſunt Nomina, & Verba, hoc loco iterum de his diſſerit, quaſi videatur ſuperuacanea hæc opera. hunc nodum ſic expediunt interpretes. ibi diſputari de dictionibus ſimplicibus per ſe, quatenus ſcilicet quęque aliquid ſignificet; hoc autem loco non ea ratione, ſed qua partes ſunt enunciationis. itaque ibi nec Nominis, neque Verbi vocabulis vſus eſt. Hoc autem loco nomen appellat dictionem eam,quę declarat id,quod ſubijcitur in Enunciatione,vt Verbum eam,quę ſignificat reliquam partem, quæ de ſubjecto effertur. 2. Quærunt illud præterea interpretes, cur cum tot partes Orationis ſint, Nominis tantum, & Verbi meminerit Ariſtot. Huic item quæſtioni vere ſatisfaciunt: quia ex Nomine tantum, & Verbo poteſt Enunciatio perfecta cõfici: vt *Socrates diſputat.* ex reliquis vero partibus quot velis copulato, nunquam Enunciationem
53. confeceris.Quæret quiſpiam cujus vi erunt reliquæ partes orationis? de Pronomine nulla controuerſia. adhibetur enim loco nomi-

nominis, quod ſatis vocabulum ipſum declarat. De Participio dicendum, illud nominis locum obtinere, cum pro ſubjecto ponitur: vt, *currens mouetur*: quod Græce melius addito articulo exprimitur ὁ τρέχων κινεῖ). At cum locum attributi occupat, pro Verbo ponitur: vt *Plato eſt currens*, perinde eſt ac ſi dicas, *Plato currit* Reliquæ non magis partes Orationis ſunt, quam nauium apluſtria, vt inquit Apuleius, & hominum pili, aut certe in vniuerſa compage Orationis, vt idem loquitur, vice clauorum, & picis & glutinis deputanda. Quam poſteriorem explanationem, & ſententiam ſequuntur omnes, qui hunc librum Ariſtot. interpretantur. Itaque Dionyſ. 54.
Halicarnaſſ. in libr. *de Nominum compoſitione* ab Ariſtot. Theodecte, & cæteris ejus ætatis Philoſophis tradit non plures, quam tres Orationis partes conſtitutas eſſe, tertiamque earum ab illis συνδεσμον quaſi *ligamen* reliquarum nominari. Poſteaque à Stoicis cæteras partes ſepoſitas fuiſſe, Varr. tamen lib. VII. de Ling. Latin. duas tantum partes Orationis ab Ariſt. dicit numerari, Vocabula, ſcilicet (ſic enim ille nomina appellat) & Verba. quanquam Grammatici diligentius, & diſtinctius partes illas ſepararunt. Etenim Stoici, vt ad- 55.

monet

monet Priſcianus libr. xi. Pronomina ſub Articulis finitis collocarunt, & Participia, quod ſemper deriuata ſint, nec vnquam in prima poſitione inueniantur, recte, vt idem ait, in partibus orationis non eſſe numeranda, cenſuerunt. Obijcit Priſcianus ſupe-
56. riori ſimilitudini eam non eſſe plenam, neq; rectam, qua clauis & pici comparantur Prępoſitiones, Articuli, & reliquæ partes, vt Nomina, & Verba tabulis. primo quia non ſunt ex eadem materia pix, claui, ſtuppa, ex qua tabulæ; Nomina deinde poſſe poni loco aduerbiorum, & viciſſim, tabulas autem nec munere ceræ, neque picis, aut contra fungi poſſe, & ad extremum iſto pacto neque neruos partium locum in corpore habituros, cum ligandis reliquis corporis membris à natura facti ſint. quod per abſurdum ait videri, multoque melius illos exiſtimaſſe, qui nomen, & Verbum principales, & egregias partes eſſe dicunt, alias autem ijs appendices. Priſcian. quidem in
57. hac ſententia videtur priorem illam ſimilitudinem Apuleij magis approbare de apluſtribus nauium, & hominum pilis. quanquam neque poſterior longe à veritate videtur abhorrere, ſed eodem prope reuolui. neque vero illa, quæ obijciuntur à Priſciano, ſunt omnino certa. nam & claui poſſunt ex eadem materia, hoc eſt ex ligno confici,
&

& tunc locum clauorum explerent. illa quoque neruorum ſimilitudo parum firma eſt. Etenim ſi neruos è corpore eximas,illud conſiſtere non poterit; reliquæ vero partes præter Nomen,& Verbum,ſi de oratione detrahantur, (vt accurate docet Apollonius in libris de Syntaxi,) oratio perfecta conſtiterit: quod idem de Nomine,& Verbo nullo modo poteſt aſſeruerari.Quare vtraque ſimilitudo probabilis eſt: neque in ſimilitudine veritas exquiſita requirenda. quanquam negare non poſſum poſteriorem certiorem eſſe. Illud tamen miror hoc lo- 58.
co Dionyſio Halicarn. non veniſſe in mentum, locum illum Poëticorum Ariſtot. in quo manifeſto in partibus orationis ſegregat Articulos à Conjunctionibus. Fortaſſe 59.
nondum inciderat in eum librum Ariſtot. cum paucis etiam Philoſophis ſcribat M. Tullius in Topic. libros Ariſtot. eo ſæculo notos fuiſſe. neque mirum: cum à L. Sylla fuerint primũ in hanc lucem reuocati.Nam quod non exiſtimaſſet eum librum germa- 60.
num Ariſt.eſſe, nunquam in animum meum inducam: cum Rhetoricos libros Ariſtot. ipſe legiſſet; vt liquet ex epiſtola illius ad Ammæum, in illiſque aliquot locis nos Ariſt.ad illam Poëticorum diſputationem reijciat, eamque inibi tanquam neceſſariam Rhetoricis intelligendis poſtulet.

Ammon.

Ammon. certe, Simplic. & Boëtius, Hermias in Phædrum Platonis, & alij fœtum geminum illum eſſe Ariſt. agnoſcunt. Dices hæc ipſa, quæ nuper attuliſti, plus ſolicitudinis nobis afferunt. In Poëticis nam-
61. que præter Nomina,& Verba recenſet Ariſtot. Articulos ſeparatim, & Conjunctiones, atque caſus nominum, & verborum. Recenſet ille quidem: hoc tamen loco tantum quærit Ariſtot. partes Enunciationis, quæ non poſſunt eſſe niſi nomina, aut verba, aut quæ pro illis in oratione vſurpantur, vt Pronomina, & Participia. At in in Poëticis cum dictionem totam Poëtarum exquirat, non Nomina ſolum, & Verba, ſed Articulos, Conjunctiones, quin & Litteras, & Syllabas,& quod eſt magis mirandum, ipſam orationem in partibus τῆς λέξεως id eſt *Locutionis* numerat: quam in libris de Hiſtor. Animalium διάλεκτον etiam appellat. in Poëticis itaque non de partibus orationis, multo vero minus Enunciationis diſputat, vt hoc loco,ſed de
62. partibus uniuerſi ſermonis. Exiſtit hoc loco quæſtio de Aduerbijs, ad quam partem orationis reuocentur. Alexand. cenſuit ad Nomina referenda eſſe. In eadem ſententia eſt Boëtius, qui Interiectiones quoque ad illa retulit. Ammonius refellit ſenten-

tiam

tiam Alexandri, ſed argumentis plane infirmis, quæque videntur ab inuidia profecta, 63.
qua videntur flagrare omnes iſti, qui ex ſchola Platonicorum profecti ſunt, contra Alexand. qui ſe vindicem egregium diſciplinæ Ariſtotelicæ ſemper præſtitit. Sed ne verbis tantum contendere videamur, quis poteſt negare Aduerbia, (quę vocant Grammatici Qualitatis) ad Nomina reuocari debere? Idem enim valet: *hic docte diſputat*, ac ſi dicas, *hujus diſputatio docta eſt*. Hac 64.
ratione docuimus nos in præfatione noſtra poſterioris editionis *Epithetorum M. Tullij*, qui major Epithetorum copia nobis ſuppetere poſſet, vt viciſſim Aduerbiorum ex Epithetis. Neque vero exiſtimandum eſt Alexandrum de quouis genere Aduerbiorum ita ſenſiſſe. Dices: quid igitur judicandum 65.
de tanta varietate Aduerbiorum, quantam hoc Capite recenſet Ammon. Reſpondebo ex ſignificatione cujuſque illud petendum eſſe. Nam ſi quis illud efferat *Ego, & tu vna profecti ſumus*, habet illud Aduerbium *Vna* apertam vim conjunctionis: quaſi dicamus *Ego profectus ſum, & tu mecum profectus es*. Alia Aduerbia in Enunciatione non adhibētur: vt, *Vtinam venias*: In quo latet quoque vis Nominis, quaſi dicamus, *Tuus aduentus eſt nobis in votis*. Illud certius, quod docent Apollonius & Priſcian. illud idem valere,

atque Verbum q. d. *Optamus te venire.* De
66. Interjectionibus non aſſentior Boëtio. nam cum ſunt vere Interjectiones, quo modo paſſim illis vtuntur Tragici, & Demetrius in lib. de Elocutione, illas ab hiſtrionibus interponi ſolere docet, vt curſum orationis interrumpant, non videntur Nomina eſſe, neque partes Orationis, ſed notæ tantum quædam naturales animi affectuum, vt ſuſpirij, gemitus. Quod ſi caſum aliquē poſtulent; tunc ad Aduerbia, vt Gręci Grammati-
67. ci volunt, appoſite referuntur. Sed quid de Præpoſitionibus cenſendū? Dicam, ſi attente conſiderentur. Conjunctionum vim pleraſq; habere: vt *Mecum profectus eſt*, idem efficit, ac ſi dicas, *ille, & ego profecti ſumus.* Quin & cum componuntur, videntur ſæpe Adverbiorum loco poni: vt *præpotens*, id eſt, potens ita, vt antecellat. Sed quoniam cætera
68. perſecutus es, quid de Articulis exiſtimandum cenſes? Articuli Gręci, qui Nominibus & alijs partibus declinandis præponuntur, ſubjectū indicant in Pronunciatis: His Latini carent. noſtris vſui in eadem re illi, Lo, La, vt ὁ ἄνθρωπος ζῶόν ἐστι: aliquando tamen loco Prouocabuli illius *Omnis* adhibētur: vt innuit Ariſt. vltimo cap. hujus libri. illi etiam, qui poſponuntur, idem in ſubjecto efficiunt, atque *Omnis*: vt qui ambulat, mouetur, hoc eſt, *quiſquis ambulat*, aut *omnis,*

qui

qui ambulat, mouetur. Vſui quoque hi ſunt
duabus orationibus copulandis: vt, *is, de quo
ad te ſcripſi, ad me venit,* duas orationes ſigni-
ficat, nempe *is ad me venit,* atque *de eo ad te
ſcripſi.* Atq; vt vno verbo omnia cōplectar,
ſignificatio cuiuſque Vocabuli docebit, ad
quam partem orationis referendum ſit. Phi-
loſopho vero ſatis illud eſt ex Nomine tan-
tùm, & Verbo Enunciationes componi
poſſe, neque ſine illis vlla ratione poſſe
conſtare. Sed quid ſequitur? *Ac ſunt ea,
quæ ſunt in voce, earum, quæ ſunt in anima paſ-* 69.
*ſionum notæ; & ea, quæ ſcribuntur, eorum quæ
ſunt in voce.* Abſoluta propoſitione, perſe-
quitur Ariſt. vt ſupra docuimus, ex ejuſdem
præceptis lib. 1. Topic. ſimilitudines, & dif-
ferentias, quibus poſſit facile eliceree Genus,
& Differentias Nominis, Verbi, Orationis,
& Enunciationis ad ſingula definienda. Cur
igitur primum non dixit *ſunt voces,* ſed *ſunt
ea, quæ ſunt in voce*? quia *Vox* eſt naturalis,
vt apparet in cæteris animalibus: hoc autem
loco diſputamus de ſermone noſtro, qui ab-
ſoluitur Nominibus & Verbis: quæ non
ſunt voces præciſe, ſed, vt ſupra docuimus,
in voce tanquam in materia nota quadam
ſignificatæ. Quare *ea quæ ſunt in voce,* idem
efficit, quod Nomina, ac Verba, & reliqua
ejuſmodi, quę ſunt in voce tanquam in ma-
teria conſignata. Quod ſi premas angu-

ſtius,qui fiunt hæ notæ. Dicam; licet tranſiliam tantiſper terminos Logicæ, à pulmonibus materiam, id eſt vocem ſuppeditari illorum agitatione per aſperam arteriam: quod eſt commune cum alijs animalibus ſed in nobis ab animo linguam, labia,palatum, dentes varie commoueri ad ſingula elementa litterarum varie exprimenda, vt nos in noſtraGrammatiſtica Gręca docemus,indeque hęc omnia varie conformari. Perga-
71. mus porro. *Earum quæ ſunt in anima paſſionum*. Hac periphraſi declarat ſenſus Animi noſtri,ſed cur illos non vno verbo,ſed periphraſi expreſſit? Expediam breui, ne me in diſputationem *de Anima* immittam;vt auctoritatem ſuæ orationi comparet, vt ipſe tradit lib.3. Rhetoric. fieri debere.Quod ſi iterum requiras, cur *paſſiones animæ* appellentur, dicam quam planiſſime: vt in Categorijs didicimus, nihil aliud eſſe *pati*, quam id, quod ſubjectum eſt, aliquam qualitatem accipere: vt conſtat ex exemplis ibi propoſitis. Ita cum inciditur lignum (quod erat vnum ex illis exemplis) accipit imaginem ſtatuæ, ſic in animo noſtro cum ex eo,quod ſenſu accipimus, imprimitur imago ejus rei, quam videmus, aut alio ſenſu percipimus, dicimus animum noſtrum pati, cum recipit illud ex ſenſu rei ſimulacrum.Merito igitur illa notio vocatur *paſſio*, aut quod Græce

Græce Ariſtot. ἐμφατικώτερον vſurpat, πάθημα, aut πάθος. Eſt autem illud ſimulacrum, quod ex illa paſſione relinquitur. Vrgebis: iſto pacto ſatis erat dicere *paſſiones animæ*; neque neceſſe erat addere, *quæ ſunt animæ*. Non eſt ita, vt dicis. Nam ira, dolor, & cæteræ animi perturbationes ſunt illæ quidem, & nominantur animæ paſſiones, communes tamen corporis, & animæ, non animi propriæ. At *notiones* non ſunt corporis, ſed in anima tantum fiunt. Neq; vero te 72.
illud offendat, ipſum *intelligere pati* appellari. Credo enim te memoria tenere in Categorijs duo genera *patiendi* à nobis notata fuiſſe: Vnum, quod fit corruptione rei ſubjectæ, indicatum illo exemplo *vri*; Alterum quod fit cum perfectione rei ſubjectę, notatum altero exemplo *ſecari*. Arbores enim, cũ putantur ſecantur, & perficiuntur, & quod huic inſtituto eſt congruentius, materies, & lignum, cum cæditur, aut ſecatur, vt fiat ſtatua, perficitur, ita animus noſter intelligendo. hoc eſt patiendo, & recipiendis ejuſmodi ſimulacris perficitur. Sequitur poſt, *notæ*. 73.
Ita M. Tullius conuertit Latine in Topicis τὸ σύμβολον. Egregie vero. Nam vt *notæ*, vt in re militari teſſeræ, & ſigna non eadem apud omnes gentes, ſic nec Vocabula. Alio namq; nomine hominẽ Romani appellant,

alio Græci, alio Hebræi, alio aliæ gentes. Et quemadmodum in bello teſſeris, & ſignis quiſq; miles nouit, cujus dicto audiens eſſe debeat, cuius ducis ſectam ſequi: & quemadmodum in re paſtoricia ex notis ſingulæ oues cujus gregis ', & quem arietem ſectarium ſequi debeant, intelligunt paſtores; ſic ex proprijs cuiuſque linguæ verbis quiſque

74. res illis ſubiectas intelligit. Differt autem ſignum à ſimulacro, cujus proxime fiet métio. quia *ſignum*, cum plane voluntarium ſit, poteſt mille modis mutari: vt ſignum imperij ſemel in Prętorijs caſtris, bis in Cõſularibus caneret, & aut buccina, aut cornu, aut alio inſtrumento indiceretur. Simulacrum vero, cum rem ipſam ſimulare debeat, ſi perfectum futurum ſit, vix poteſt eſſe niſi vnicum, & ſingulare. Itaque *ſimulacrum* propius accedit ad ea, quæ naturalia ſunt: *ſignum* vero magis eſt voluntarium. Neque vero quiſpiam ſibi perſuadeat, cum dicuntur Nomina voluntaria, id ita accipiendum

75. quaſi liceat cuiuis, quo nomine velit, in quaque re vti. quo modo Diodorus, (vt obſeruat Simplic. in Categor.) ſeruum ſuum appellabat nomine Conjunctionis Græce ἀλλὰ μὴν, id eſt, *atqui*, vt irrideret eos Philoſophos, qui natura nomina ſignificare arbitrabantur (ſic vulgo *Joannes Contra*, homo

contra-

contradicendi ſtudioſus nominatus.) Ariſt. quo magiſtro Peripatetici philoſophari didicerunt, verborũ proprietatem magno ſtudio ſectatur. Ita lib. 4. de Sapientia, in quo tot nominum homonymias Ariſt. aperit, non contentus ſignificationum varietate, quam affert, docet, vt ſingulæ ad principem reuocentur. In Topicis quoque cum diſputat de diſtinctione Ambigui, non ſolum explicari vult, quot ſignificationibus vnumquodque nomen vſurpetur, verũ etiam illud obſeruari, vt ratio cuiuſq; ſignificationis reddatur. Declarant item hoc ipſum tot argumenta, quibus ſolet Ariſt. argumento ab Etymologia ſuam ſententiã confirmare. In libr. præterea de Ortu animal. approbat valde illud Generum variorũ inſtitutum, *virilis* ſcilicet *muliebris, & neutri,* quo nomina dijudicantur. Poſtremo quam caute Ariſt. noua nomi- 76.
na imponit. Etenim ſi vnum, & ſimplex Nomen noue vſurpat per Metaphoram, illud adhibet ita, vt ex ſignificatione propria, & vſitata ſimilitudinem ducat: vt in nomine Termini Græco in Analyticis: ſi deriuatum per Analogiã aliorum ab eo, quod vſitatũ eſt illud repetat; vt in Categor. quemadmodum ἀπὸ τοῦ πτεροῦ πτερωτὸν, ſic ἀπὸ τοῦ πηδαλίου πηδαλιωτὸν commode fingi poſſe docet. 77.
Quod ſi conjunctum ſit, componit illud ex nominibus quotidianæ conſuetudinis: 78.

vt ἐντελεχείας nomen vſurpat in forma ἀπὸ τοῦ ἐντελοῦς, & ἔχειν: quod tunc quæq; res ſuam perfectionē habeat, cum formam ſuam nacta eſt. Tandem ſi Periphraſin loco nominis noui vſurpat, ſingula verba illius ex vſitata, & propria ſermonis conſuetudine repetit: vt apparet in Nomine infinito, & Verbo item infinito, cum Græce illa ap-
79. pellat. Neq; vero ex altera parte exiſtimandum eſt, ita nomina ſignificare natura, vt geſtibus naturalibus variam pronominum ſignificationem Stoici exprimebant. quos facete, & vere irridet Galen. in libris de Decretis Hippoc. & Platonis. Quæ tamen ſen-
80. tentia fuit P. quoque Nigidij, Romani eruditiſſimi, vt docet A. Gellius. Nec mirum: Fuit enim egregius Pythagoricus, vt M. Tullius docet in lib. de Vniuerſitate. Pythagorici autem immenſum quantum Naturæ tribuebant. Neque etiam tantum in vſu nominum naturæ concedendum, vt rationem variæ ſyntaxis in Verbis ex Natura depromamus. quod faciunt aliquando Apollonius Dyſcolus, & Iohan. ὁ γλυκὺς, aut τῶν
81. γλυκέων. Neque poſtremo tantum tribuendum Etymologię, quantum ſibi indulſerunt Plato, & Varro. Nam & Græca ex Pœnis, vna cum litteris à Cadmo aduecta creduntur, quod & origines Hebraicæ multorum no-

minum

minum ſatis aperte declarant, & Romana pœne omnia ex Græco fonte, vt idem Varro aſſerit, & alij veteres Grammatici, editis de eo argumento libris docuerant: quod & nos illorum exemplo in noſtris Grammatiſticis Græcis conati ſumus. Noui quid pro Platone ex Proclo, & alijs afferri poſſit. Varronis tamen nimio ſuæ linguæ amori non pepercit Quinctil. vir acerrimi judicij. Sed nimium noſtram diſputationem prouexit ſtudium veritatis: patiamurque ejus diſceptionem perfectam in cap. *de Oratione* differri: vbi Ariſt. hoc ipſum contra Platonem, vt videtur, diſputat, ibique perpendenda argumẽta Academicorum, quæ Proclus collegit in Scholijs ad Cratylũ Platonis, & ſi quæ alia eodem pertinent: vt illa quæ A. Gellius ex Nigidij auctoritate commemorat. Sed, vt ad Ariſt. reuertamur, quid exinde ſequitur? 82.

Ea quæ ſcribuntur, eorum quæ ſunt in voce. Hic locus, vt plenius intelligatur intelligẽda hic eſt particula illa ſimilitudinis *Vt*, quaſi dicat: *vt Vocabulis ſcriptis declaramus ea, quæ proferuntur, ſic his quæ pronunciantur, ſenſus animi exponimus.* Poſitum autem illud quoque eſt in conſuetudine ſermonis Græci, vt in particula copulatiua καὶ includatur, etiã nota ſimilitudinis, vt hoc vno exemplo ejuſdem Ariſt. illuſtremus. Is igitur lib. 4. de Sa- 83.

pientia ſic loquitur *καθ' ὃ ἰσαχῶς λέγεται ϗ τὸ αἴτιον*, quaſi dicat *ὡς καὶ τὸ αἴτιον.* cujus loci hæc eſt ſententia, *ipſum quatenus pariter dicitur atque cauſa*, id eſt tot modis dicitur, quot & Cauſa. Sed cur dixit *Ea quæ ſcribuntur*, & non *Litteræ?* Forte ne nomen *litterarum* pro elementis acciperemus: quod
84. plerique faciunt ſcriptores. Nam proprie Elementum, vt Grammatici veteres docẽt, dicitur in illis, quæ proferuntur; Litteræ vero in ijs, quæ ſcribuntur. Ex hac prima ſimilitudine perſpicuum fit *Nomina, Verba, & Orationes* voces eſſe ſignificatiuas. Ex ea vero, quæ deinceps ſequitur, liquebit voces eſſe, quæ ex inſtituto ſignificant. Ea igitur talis eſt: *& quemadmodum neque litteræ omnibus eædem, ſic neque voces eædem.* Docet
85. hac ſimilitudine Ariſtotel. ſignificationem *Nominum, & Verborum, atque Orationis* non eſſe naturalem: propterea quod ſingulę gentes ſua lingua, & characteribus littera-
86. rum proprijs vtuntur: quæ cauſa impulit quoſdam, (vt ait Varro libr. 8. de Ling. Latin.) vt Analogiam Naturalem in verbis eſſe negarent: quanquam idem Naturalem eſſe vult declinationem, quæ fit in Nominibus per caſus, & numeros, atque illam, quæ fit in Verbis per modos, & tempora: propterea quod ſui pæne ſimilis eſt in omnibus:

at

at eam, quæ fit in thematis, aut in rectis, voluntariam eſſe arbitratur propter majorem diſſimilitudinem, & varietatem, quæ in illis inuenitur. Quod ita accipiendum videtur, vtramque quidem voluntariam eſſe, ſed illam minus, quæ caſuum vario exitu, aut perſonarum perficitur. In hac ſimilitudine non adhibet Ariſtot. Periphraſes, vt in ſuperiore, ſed ſingulis nominibus *Voces*, & *Litteras* appellat, recenti memoria ſuperiorum periphraſeon contentus: ne videatur ſcrupuloſior in his iterandis, ac diffidere diligentiæ ſtudioſorum. In quo etiam ſuæ dignitati conſulit. Illa nota ſic 87.
in omnibus exemplaribus Græcis, quæ vidi, legitur, atq; in tranſlatione veteri, præterquam in Aldina editione antiqua: quæ ſine commentarijs diuulgata eſt. Sed illud non magni intereſt, cum ſatis intelligatur, vel ſi nominatim non ſit expreſſa. Progrediamur ad orationem proximam.

Quorum autem hæc ſigna primo, hæ omnibus paſſiones animæ, & quorum hæc ſimulacra, res jam hæ.

In hoc loco diſſentiunt explanatores ve- 88.
teres. Etenim Herminus, qui antiquior eſt Alexandro, legit hunc locum, vt ego illum interpretatus ſum. Alexand. tamē & reliqui legunt *eædem* pro *hæ*. Ac vox quidem Græca vtroq; modo reddi poteſt pro varia

ratione

ratione accentus. Nam ſi cum ſono inflexo in pœnultima legatur *ταῦτα*, valebit *hæ*, ſin autem accentu acuto in vltima *ταὐτὰ* efficiet, *eædem*. Herminus igitur cenſet legi non poſſe eædem. quia hæc eſſet mens Ariſtot. eandem notionem ſignificari ſingulis verbis. quod falſum eſſe ait propter *Nomina Homonyma*: quæ is, qui audit, alio ſenſu accipit, atque is, qui dicit. Itaque mauult legere *hæ*, vt ſit hæc ſententia horum verborum: Vocibus ſignificantur notiones, quæ ſunt rerum ſimulacra. Alexand. tamen legit eædem, velleque Ariſt. inquit his verbis docere diſſimilem eſſe conditionem rerum, & notionum, atq; vocum, & ſcripturarũ. Illas ſiquidem eaſdem eſſe apud omnes gentes, has vero pro varijs gentibus varie commutari. Porphyrius, cum explanationem Alexand. comprobet, ita ſatisfacit Hermino, poſſe facile eum, qui audit, reuocari ab eo, qui dicit ad eam notionem, qua is, qui dicit, illud accepit. D. Thomas acutius, & rectius reſpondet Hermino eaſdem notiones appellari non ratione Vocum, quibus ſignificantur, ſed rerum, quarum ſunt imagines: qua ratione ſemper, & apud omnes gentes eædẽ erunt rerum notiones. In explicatione Hermini illud video ſubabſurdum, nullam habitam rationem illius aduerbij *primo*, in

quo

quo eſt vis determinationis, quæ aliquid præſcribit, cujuſmodi voces in Ariſt. obſeruari permagni intereſt: cum tanta breuitate, & ſermonis proprietate vtatur. In eadem támen expoſitione illud perbelle cecidiſſe videtur, vt confirmet egregie ea, quæ deinceps ſequuntur, & conſentiat illis quam appoſitiſſime. Etenim Ariſt. reipſa in libris de Anima docet ipſum *Intelligere* nihil aliud eſſe, quam *pati*, & notiones rerum eſſe ſimulacra, neque lapidem eſſe in animo noſtro, ſed ejus tantum ſpeciem, & ſimilitudinem. In expoſitione vero Alexandri video maximam habitam rationem aduerbij *primo*, vt obſeruat Boëtius: nihil tamen ab Ariſtot. in libris de Anima de ea ſententia extare, quod eędem ſint apud omnes homines rerum notiones. Quod igitur remedium in tantis tenebris? Locus ſane ita explicandus, vt ratio reddatur à nobis, cur additum ſit aduerbium *primo*, aut *primorum* nomen vt in Vet. Trãſl. ſcriptũ reperitur (eodem enim reuoluitur) & veritas ejus, quod ſequitur, conſeruetur, nec vllus locus reliquus ſit dubitationi Hermini, neq; cęterorum. Exiſtimo igitur Ariſt. hoc loco ſatisfacere ei, qui poſſet requirere, cur cum vocibus res ſignificentur, vt conſtat ex Categorijs, & pręſertim ex vltimis illarum proprietatibus quæ hoc ſublato falſę plane eſſent, Ariſtot. hoc loco non *res*, ſed 89.

animi

animi paſſiones declarari inquit, & quæ ſunt
90. iſtæ *Animi paſſiones*, quidque de rebus ſignificatis ſentiendum. His quæſtionibus reſpondet Ariſtot. ordine in his verbis, ac primum primæ. quamuis res ſignificentur vocibus vt expoſitum eſt in Categorijs, ſignificantur tamen interuentu earum paſſionum, quæ ſunt in animo: quas primo voces ipſæ ſignificant. Ad id autem, quod deinceps quærebatur, quæ ſint *Animi paſſiones* hoc loco reſpondet breui, rerum imagines eſſe, & ſimulacra, quæ anima noſtra ex rebus ipſis accipit. *Res* autem, quod tertio quærebatur, *vltima* ſunt, quarum ſunt ipſę notiones ſimilitudines. Hæc autem diſtinctius in libris de Anima traduntur. quo loco exponetur, qui ipſum *Intelligere* nil aliud eſt, quam *pati*, atque ita pati, vt mens noſtra perficiatur recipiendis ſimulacris rerum perfectis. In hac explanatione nullus locus ſupereſt dubitationi Hermini, neque alteri, quā affert hoc loco Boëtius ex Aſpaſio, aut ex Alexandro Magentinus. Itaque verius ſcribetur *hæ*, quam *eædem*, ſed non propter eam tamen rationem, quam attulit Herminus. Poſſet aliquem hoc loco torquere ille ſcrupulus, non ex decretis Peripateticorum, ſed Stoicorum ortus: qui, vt commemorat hic Ammon. medium quoddam inuexerunt inter *res*, & *Notiones*, quod illi

illi nominarunt λεκτὸν, quod D. Auguſtin. 91.
& Fortunatianus *dicibile* reddunt. Ex his tamen ſcriptoribus & Laërt. in Zenone videtur colligi poſſe mediū illud à Stoicis collocari inter *Notiones*, & *Voces*, non inter *Notiones, & res*. Etenim Laërt. ſcribit *dicibile* eſſe, id quod fit ex phātaſia rationali, phantaſiamq; rationalem, nil aliud eſſe, quā *νόησιν*, id eſt notionem ejus rei, quam mente complexi ſumus, ita *dicibile* interjectum erit inter notionem, & dictionem. Fortunat. ſic illud explicat. *Dicibile*, inquit, *eſt, & non eſt* 92.
verbum, ſed quod intelligitur, & animo continetur: Hoc eſt Verbum interius animæ, quod cum profertur cum ſignificatione illius notionis, vocatur *dictio*. Sex. item Empiricus l. 1. aduerſus Mathematicos λεκτὸν Stoicorum eſſe ait, id quod ſignificatur, id eſt *notionem*, quamuis Crates, & Grammatici aliter illud acciperent. Itaque videtur *dicibile* Stoicorum non eſſe tam mediū Vocis, & Notionis, quam notio ipſa recte percepta, & comprehenſa, idq; ab illis tanquam à Vocabulorum architectis nouo nomine appellari *dicibile:* vt nil videantur aliud, vt in alijs multis, niſi nouorum nominū oſtentationem appetiſſe. At enim Peripatetici quoq; medium aliquod inter *notiones*, & *dictionem* conſtituerūt, nimirū *phantaſmata*. Ea ſunt ſimulacra,

quæ

quæ ex re viſa, aut ſenſu percepta in animo relinquuntur, ſed cum purgata ſunt à fæce circumſtantiarum, & proprietatibus indiuiduorum, nil aliud plane ſunt, quam *notiones* ipſæ. Quoniam autem hoc eſt adire penetralia librorum de Anima, quod non eſt hujus loci, neque temporis prudenter Ariſtot. hanc diſputationem in eum locum reſeruandam eſſe monet his verbis: *Ac de his quidem dictum in libris de Anima: alterius*
93. *namque hoc eſt diſputationis.* Quam præclare obſeruat in his Ariſtot. quot idem præceperat lib. 1. de Demonſtrat. non licere de Genere ad genus tranſire: quaſi apertius dicere velit, ineptum eſſe terminos ejus artis, quam quiſque profitetur, tranſilire. quod inſtitutum illius vtinam imitarentur ejus ſectatores noſtra ætate: non tot Quæſtiones alieno loco diſputarentur. Sed vt ad Ariſtot. redeamus, cum ipſe paulo ante docuiſſet *Notiones* eſſe animi paſſiones, noſque tunc intelligere, cum animus noſter ſimilitudines rerum reciperet, quæ diſputatio propria eſt librorum de Anima, perſpiceretque nil iſta ad Demonſtrationem conficiendam, (qui ſcopus Logicæ eſt,) pertinere, conſulto in libros de Anima hæc diſtulit. Eandem rationem conſilij imitatus Porphyr. in proœmio ſuæ Iſagogæ, cum cerneret diſputationem de *Ideis*, & *Vniuerſis* alienam

alienam ab illo tempore,& loco eſſe, illam in libros de prima Philoſophia rejecit: interim in ſcholis eo loco onerantur tirones diſputationibus obſcuriſſimis primæ Philoſophiæ, & librorum de Anima: vt curſum Philoſophiæ pœne à meta auſpicentur. Sed vt ad id, quod inſtituimus, redeamus, An- 94.
dronicus Rhodius (vndecimus ab Ariſtotel. Peripateticorum ſcholæ præfectus, vt ſcribit Ammon.) cum in libris de Anima non poſſet inuenire, id, quod eo loco ſcribit hic Ariſtot. ſe docuiſſe, perſuaſit ſibi, aut hunc librum non eſſe Ariſtot. germanum, aut illos falſo Ariſt. aſcribi; cumq; exiſtimaret illos vere Ariſt. eſſe, hunc librum negauit eſſe Ariſt. genuinū. Copioſe tamen interpretes ſatisfaciunt huic dubitationi, multis citatis locis ex lib. de Anima, in quibus aperte *Notiones* nominantur *paſſiones*, & ipſum *Intelligere pati*, atque *Phantaſia*, (è qua mens elicit ſuas notiones) *mens patibilis*: quæ licet apud illos legere: nos ad reliqua pergamus. *Eſt autem quemadmodum in anima aliquando quidem notio, quæ nec vera eſt, neque mentitur; aliquando autem in qua neceſſe eſt alterutrum horum ineſſe ſic & in Voce.* Hic docet Ariſt. 95.
diſſimilitudinem quandam inter Voces ſimplices, & *Orationes*, aut potius *Enunciationes*. Eſt autem talis, vt in περὶ ἑρμηνείας docuimus, nullum vocabulum ſimplex, neque

K ſeorſum

quæ ex re viſa, aut ſenſu percepta in animo relinquuntur, ſed cum purgata ſunt à fæce circumſtantiarum, & proprietatibus indiuiduorum, nil aliud plane ſunt, quam *notiones* ipſæ. Quoniam autem hoc eſt adire penetralia librorum de Anima, quod non eſt hujus loci, neque temporis prudenter Ariſtot. hanc diſputationem in eum locum reſeruandam eſſe monet his verbis: *Ac de his quidem dictum in libris de Anima: alterius*
93. *namque hoc eſt diſputationis.* Quam præclare obſeruat in his Ariſtot. quot idem præceperat lib. 1. de Demonſtrat. non licere de Genere ad genus tranſire: quaſi apertius dicere velit, ineptum eſſe terminos ejus artis, quam quiſque profitetur, tranſilire. quod inſtitutum illius vtinam imitarentur ejus ſectatores noſtra ætate: non tot Quæſtiones alieno loco diſputarentur. Sed vt ad Ariſtot. redeamus, cum ipſe paulo ante docuiſſet *Notiones* eſſe animi paſſiones, noſque tunc intelligere, cum animus noſter ſimilitudines rerum reciperet, quæ diſputatio propria eſt librorum de Anima, perſpiceretque nil iſta ad Demonſtrationem conficiendam, (qui ſcopus Logicæ eſt,) pertinere, conſulto in libros de Anima hæc diſtulit. Eandem rationem conſilij imitatus Porphyr. in proœmio ſuæ Iſagogæ, cum cerneret diſputationem de *Ideis*, & *Uniuerſis*
alienam

alienam ab illo tempore,& loco eſſe, illam in libros de prima Philoſophia rejecit: interim in ſcholis eo loco onerantur tirones diſputationibus obſcuriſſimis primæ Philoſophiæ, & librorum de Anima: vt curſum Philoſophiæ pœne à meta auſpicentur. Sed
vt ad id, quod inſtituimus, redeamus, An- 94.
dronicus Rhodius (vndecimus ab Ariſtotel. Peripateticorum ſcholæ præfectus, vt ſcribit Ammon.) cum in libris de Anima non poſſet inuenire, id,quod eo loco ſcribit hic Ariſtot. ſe docuiſſe, perſuaſit ſibi,aut hunc librum non eſſe Ariſtot. germanum,aut illos falſo Ariſt.aſcribi; cumq; exiſtimaret illos vere Ariſt. eſſe,hunc librum negauit eſſe Ariſt. genuinũ. Copioſe tamen interpretes ſatisfaciunt huic dubitationi,multis citatis locis ex lib. de Anima,in quibus aperte *Notiones* nominantur *paſſiones*, & ipſum *Intelligere pati*,atque *Phantaſia*,(è qua mens elicit ſuas notiones) *mens patibilis*:quæ licet apud illos legere: nos ad reliqua pergamus. *Eſt autem quemadmodum in anima aliquando quidem notio, quæ nec vera eſt, neque mentitur; aliquando autem in qua neceſſe eſt alterutrum*
horum ineſſe ſic & in Voce. Hic docet Ariſt. 95.
diſſimilitudinem quandam inter Voces ſimplices,& *Orationes*, aut potius *Enunciationes*. Eſt autem talis, vt in περιερμηνείᾳ docuimus,nullum vocabulum ſimplex, neque

K ſeorſum

ſeorſum acceptum verum, aut falſum declarat; at vero ſi cum Verbo modi indicatiui conjungatur, verum aut falſum continuo ſignificat: quemadmodum & notio rei ſimplicis, nec vera, neq; falſa per ſe eſt, adjuncta tamen notione verbi indicatiui verum, aut
96. falſum ſtatim declarat. Ex ijs perſpicuum fit Ariſt. hic non diſputare de ea Veritate, qua res quæque eſt hoc ipſum quod eſt, de qua diſputat lib. 9. de Sapientia; neque de illa, (niſi eadē forte eſt,) qua mens noſtra percipit eſſentiam perfectam cujuſque rei, de qua item diſſerit lib. 9. de Sapientia, & lib. 3. de Anima, quā ſimilem eſſe inquit tactui, quaſi res manu teneatur, in qua nullus locus mendacio: multo vero minus diſſerit hoc loco de illa Veritate, quæ omnium caput eſt, & eminentiſſima hoc eſt de Deo Opt. Max. ſed de ea ſolum veritate, & mendacio, quæ homines proferūt, cum pronunciant hoc ita, aut aliter eſſe. Itaque nullus jam locus relinquitur illis turbis, quas dant hoc loco In-
97. terpretes ſuis dubitationibus: multo vero minus moleſtiæ illæ exhibere debent, quas qui vel primoribus labris Grammaticā guſtarit, ad exitum nullo negotio adducet, de Verbis ſcilicet primæ, & ſecundæ perſonæ, atque illis tertiæ, in quibus neceſſario intelligitur aliquod Nomen, vt in verbis *grandinat, ningit*. Quæ nouit quiuis de triuio Grāmaticus

maticus non eſſe ſimplicia Verba, ſed compoſita: vt *diſputo* idem efficit, atque *ego diſputo*. Hoc autem loco illud animaduertendũ eſt, cum dicimus ſi Verbo indicantis modi nomen adjungatur, orationem futuram veram, aut falſam, illud accipiendum eſſe de *Nomine* proprie dicto, hoc eſt recti caſus: nã in obliquis ſi dixeris *Socratis eſt*, nondum vera, neq; falſa oratio, niſi aliquid addas, vt, *hæc imago*. Sed age ſubjungamus reliqua verba contextus: *Nam circa compoſitionem, & diuiſionem eſt mendacium, & Veritas*. Mens hujus loci hæc eſt, neque Veritatem, neque Mendaciũ, de quibus hic diſputamus in vna notione, aut dictione ſimplici cerni, ſed in multarum compoſitione. neq; vero quauis compoſitione verum, aut falſum notari ait: (eſſet enim id falſum in alijs modis, vt imperandi, & optandi) ſed ſine compoſitione aliqua dictionum, verum, aut falſum conſtare non poſſe. Dices, nonne ſatis erat *compoſitionem* nominaſſe, cur addidit *diuiſionem?* 98. 99. re quidem ipſa ſuperuacanea eſt illa *diuiſionis* adjunctio: cum omnis enunciatio, ſiue aiat, ſiue neget compoſitione dictionũ perficiatur. Sed quoniam hoc lib. inſtituit Ariſtot. rationem potiſſimum *affirmandi, & negandi* docere, voluit hoc primo aditu dilucere, aliud eſſe *affirmare*, aliud *negare*, diuerſiſq; nominibus, maximéq; congruentibus

illa notare. Quod enim negationi aptius nomen *diuiſione*? Negatione ſiquidem diuidimus,id eſt, ſeparamus attributum à ſubjecto:vt cum dicimus, *homo non eſt lapis*, diuidimus lapidem eſſe, & ab homine abducimus. Clauſulam hujus cap. videamus: *Ac nomina quidem , & verba videntur ſimilia ei notioni,quæ ſine compoſitione,& diuiſione fit: vt homo,aut album, cum additum nil fuerit. neq; enim mendacium,neq; veritas adhuc.* Hic locus eſt facilis,& fere explicatus jam:ſingula nempe vocabula ſimilia eſſe ſimplicibus notionibus quę nec verum,neque falſum pronunciant. Tantũ illud hoc loco obſeruandũ, quod interpretes annotant,illud *album* poſitum eſſe loco Verbi.nam & Verbi nomẽ pręter alias ſignificationes,attributũ quoq; declarat,vt exponetur cap.de Verbo. Itaq; ipſum nomẽ *hominis* pro ſubjecto hic vſurpatur,& illud *albi* pro Verbo, aut Attributo; quaſi Enunciatio illa ſit, *homo eſt albus.* Neq; mirum nomine Verbi attributũ indicari. quia in omni Enunciatione, aut verbũ eſt attributum, vt *Homo valet* ; aut nomen adjunctum verbo, quod idem ſignificat, vt *Homo eſt ſanus*,idem plane ſignificat, atque *Homo valet*.Hæc autem tantũ quæ deinceps ſequuntur reliqua ſunt in hoc capite. *Signũ autem hujus eſt , etenim hircoceruus ſignificat quidem aliquid,nondum tamen verum aliquid, aut*

*aut mendacium,niſi ipſum eſſe, aut non eſſe ap-
poſitum ſit,aut ſimpliciter, aut ſecundum tem-
pus*. Probat hoc loco Ariſt. nullam dictionẽ
per ſe acceptam verum,aut falſum declara-
re, niſi adjungatur verbo modi indicandi,
idque duobus argumentis Topicis,quæ ipſe
vocat Epicheremata, eaque latent in nomi-
ne *hircocerui*. Topica quidem ſunt argu- 100.
menta, quia probabilia ſunt: vocantur au-
tem *Topica*,quia nituntur *τοῖς τόποις*, id eſt
locis(ſic enim priſci Peripatetici nominant
ſedes illas maximas Epicherematum)qualis
hæc. 2.Topic. *Si cui magis videtur conueni-
re,non conuenit,nec cui minus videtur conueni-
re, conueniet*. Hoc poſito loco ſic argumen-
ta perſequeris. Atqui huic nomini τραγέ-
λαφος, *hircocerus*,tum quia dictio com-
poſita eſt,tum quia ſignificat rem, quæ pla-
ne nõ eſt, videtur magis ſignificare falſum,
aut verum.At neutrum illi competit:Nulla
igitur dictio per ſe accepta verum , aut fal-
ſum declarabit. Sed ſi aduinxeris nomini
verbum modi indicantis,quod innuit verbo
eſſe,aut non eſſe,tunc verum,aut falſum ſigni-
ficabit:vt *hircocerus eſt*, erit falſa pronun-
ciatio.*hircocerus non eſt*,vera. Vnus reſtat
ſolũ ſcrupulus,qui nobis moleſtiam poſſit
exhibere, quid valeãt illa verba extremo lo-
co propoſito *ſimpliciter , aut ſecundũ tempus*. 101.

Tres expoſitiones horum verborum affert Boëtius, eædem leguntur in ſcholijs Magẽtini, ſi attente, & emendato loco legantur. Nam in editione illorum Grȩca Aldi videtur aliquod verbũ deeſſe. Ammon. & Pſellus in Paraphraſi ſequuntur tertiam expoſitionem Boëtij: D. tamẽ Thomas, & Roiſius Arabs, atque illius ſcholiaſtes Leui Gerſonides ſecundam, vt cæteris potiorem elegerunt. Recte vero: quia quadrat magis hujus libr. inſtituto. Eſt autem illa explicatio hujuſmodi: illa dictione *ſimpliciter* præſens tempus notari, illis vero *ſecundum tempus* reliqua tempora, prȩteritum nimirum, & futurum. Qua temporum diſtinctione vtetur Ariſt. ſæpe in ijs, quæ ſequuntur, vt cap. de Verbo nominabit *Verbũ* præciſe illud, quod eſt prȩſentis temporis, *Caſus* vero Verbi illa verba, quæ ſunt præteriti temporis, aut futuri: & ſecunda ſectione cum docebit, quæ partes contradictionis verum, & falſum diſcernunt, tradet in Enunciationibus præſentis, & præteriti temporis ſemper alterutra parte certo verum, aut falſum dijudicari, in illis vero, quæ ſunt temporis conſequentis, nõ ſemper certum eſſe vtra pars vera ſit, aut vtra falſa. Requires cur prȩſens conſignetur illo *ſimpliciter*: Præteritum vero, & futurum illis *ſecundũ tempus*. Boëtius reſpondet huic quæſtioni vere, id ita factũ fuiſſe propterea

quod

quod tempora proprie ſunt *præteritum*, & *futurum*. Præſens vero,& quod inſtat, non eſt proprie tempus, vt conſtabit ex Phyſicis, ſed finis potius præteriti,& initium futuri. Quæres præterea, qua ſignificatione ipſum *ſimpliciter* hoc loco vſurpetur. Reſpondebo paucis,ne cæteris ſignificationibus commemorandis moleſtus ſim, vſum Ariſt.hoc loco ea qua, & ipſe, & alij ſcriptores paſſim vtuntur: vt ipſum *ſimpliciter* ſignificet ſine vlla adjunctione quaſi dicat; præſens declarat tantum eſſe,aut non eſſe ſine vlla adjunctione præteriti temporis, aut futuri. ſic & Porphyrius in Iſagoga cum differētias maxime proprias appellaſſet cum adjunctione *differentias ſpecificas*,cęteras differentias cenſuit *differentias* ſimpliciter nominandas, hoc eſt ſine adjunctione τῶν *ſpecificarum*. Hæc eſt explanatio hujus cap. Ariſt. in qua noſtræ prolixitati ignoſcendum videtur,neque enim aliter fieri potuit, vt quam rationem optimam cenſemus explanandi Ariſt. accurate monſtraremus. Illud tamen vehementer dolendum eſt,non ſatis ſuperq; nobis eſſe παράφρασιν ad artis intelligentiam, ſed addendam etiam verborum Ariſtot. interpretationem. Cui, cum addicti ſumus, non tam Philoſophorum, quam Grammaticorum munere fungi videmur. Itaque 102.

nunquam ad exitum Philoſophiæ peruenire
103. poſſumus. neque munus vllum periculoſius
in ſtudijs litterarum, quam ſententiam alterius explanare. Nam etſi Panætius Philoſophus, vt apud Athenæum legimus, nobiliſ-
104. ſimum illum Grammaticum Ariſtarchum propter ejuſmodi facultatem interpretandi Poëtas, & alios ejuſmodi ſcriptores *vatem* honeſte, & cum illius dignitate nominauit, tamen totum hoc munus vatis videtur eſſe, & quidem plenum maximi periculi eſt, quid alius voluerit, quæ mens illius fuerit, diui-
105. nare. Quam multa deuoranda, dum illud conſectamur. Scrutari primum mentem ſcriptoris oportet, atque vt conſentiat ſuperioribus, & conſequētibus, & num ex ſua ipſius, an ex alterius ſententia illud perſequatur, & contextus ſanus ne ſit, an vitioſus: & vt certius id pręſtare poſſimus, conſulendi Explanatores. Vbi quantum moleſtiæ ſubeundum in tot, tamque diſſentientibus ſępe Interpretum explanationibus. Quin & in ipſis editionibus. Interpretum etiā Græ-
106. cis, & Aldinis, vt in hoc ipſo cap. in editione Gręca Aldina Ammonij mendum illud inſigne reſedit δι αὐξήσεως, id eſt *per incrementum* pro διὰ ξύσεως, hoc eſt *per ductum, aut deſcriptionem litterarum*: & alterum in codē, cum loquitur de Andronico, vbi ſcriptum

ἔπω,

οὔπω, id eſt *nondum* pro ὅπου quod valet ubi: Atq; in Magentini ſcholijs in hoc ipſo cap. cum enumerat ſignificationes τῆς πτώσεως, ſiue *poſitionis* mendum illud cubat aduerbium τοπικὸν, id eſt *loci*: vbi reſcribendum plane θετικὸν, hoc eſt *poſitionis*; quod Grammatici Græci docent, quantum ab altero differat, vt licet perſpicere in noſtris *Inſtitutionibus GrammaticæGrecæ*. Quod ſi dicas omnia jam 107.
ex Græco in Latinum ſermonem conuerſa eſſe: fateor illud quidem, ſed ita pro dolor, vt peruerſa potius plura in multis cernantur. Quæ ſentient, qui Græca exemplaria cum vulgatis tralationibus ſtudioſe contulerint. Quod ſi quiſpiam dixerit, in Explanatoribus Latinis omnia eſſe recta, nihil deprauatum. Nec iſtud quidem verum. Quid enim magis deprauatum, ne ab hoc Cap. ab- 108.
eam, quam ille locus, in quo Boëtius adducit argumenta, quibus Porphyrius refellebat Alexandri expoſitionem illorum verborũ, *& ea quæ ſcribuntur eorum, quæ ſunt in voce?* Sic enim legitur in editione Baſilienſi Henrici Petri; *primo quidem quod ad ſimplicem ſenſum nil addi oportet, deinde quod tam breuis ordo tanquam neceſſaria orationis non eſt intercidenda partitio*. In his verbis argumentum primum clarum eſt; ſecundum licet intelligatur aliquo modo, vix tamen ex

loco mendoſo poteſt extricari. Perierunt præterea Commentarij Porphyrij: è quibus reſtitui poterat. ſuſpicabar aliquando illud nomen *ordo* ex margine, vbi annotatū erat loco artificij, in contextum irrepſiſſe, atque ita poſſe locum conſtare: quaſi diceret; *tam breuis orationis non eſſe neceſſario in-*

109. *tercidendam partitionem*. Quin & in libris vulgatis aliorum obſeruaui ejuſmodi menda vt lib. 2. Comment. de Cœl. D. Thomæ lect. 17. in editione Pariſ. ſaltem magna eſt lacuna. in qua legebatur ſententia Ptolemæi, qua ſuis eccentricis tuebatur Motum, quo Planetæ videntur ſecundum altitudinē moueri, vt propius à nobis, aut longius abſint: vbi etiam mendoſe editum *appagiri* pro *apogæi*. ſed hæc minutatim recenſere infini-

110. tum eſſet. Vtinam tot viri eruditiſſimi, quos hæc ætas extulit, vt in Poëtis, Hiſtoricis, & Oratoribus emendandis omnem operam collocarunt, atque etiam in Theologis priſcis, atque Iuriſperitis, & Medicis, ita ſuum ſtudium ad Philoſophorum ſcripta, & reliquarum Artium contuliſſent. vnum Cenſorini libellum, qui mihi tam Philoſophicus, quam philologicus videtur. cum appendice neſcio cujus, legi Lutetię editum opera Car-

111. rionis, & Apuleij lib. Perihermenias, atque alios ſtudio Coluij diuulgatos. in quibus video multa adhuc deſiderari, vt in illis

Martia-

Martiani Capellæ de ſeptem artibus & in Orbe diſciplinarum Caſiodori, atque in alijs, ſed ab his fortaſſe tenebræ per viros doctos depulſæ, quæ ad manus noſtras temporum injuria non peruenerunt. Illud vehementer pertimeſco, ne Greci Ariſt. explanatores, Arabes item, & Latini hac luce, & ornamento hactenus careant. Quid autem 112.
fiet miſeris illis, qui cum vix primoribus labris Grammaticam guſtaſſent, ad Philoſophos tranſierunt, & triennio ejus decurſus confecto in Doctorum collegium cooptati de ſuperiori loco Philoſophiam docent. Hi cum incident in tot locos antiquitatis eruditæ, quid facient? ne verbum quidem intelligent. vt cum Ammonius hoc cap. diſputat de Aduerbijs, quo loco ſint, & in qui- 113.
bus orationis partibus cenſenda, quã multa eorum genera enumerat, vulgo iſtorum hominum ignota: qualia illa ſunt Enthuſiaſtica, quorum ne nomen quidem vnquam iſtis auditum: vt *euæ, euan.* in quibus tantũ perplexitatis, vt conſtat ex Harpocratione, Etymologico, Euſtathio, & alijs. Boëtius item hoc cap. cum ſcribit de formula litteræ, A, 114.
atramento, vel graphio ſcribi, quis plane illud intelliget, niſi qui nouerit duo genera ſcribendi antiquis fuiſſe: vnum, quod fieret atramento, & calamo, aut penna in chartis, aut membranis, alterum in tabulis ceratis,

aut pugillaribus,cum chartacea, aut membranacea non ſuppeterent, in quibus ſcribebatur graphio ferreo, aut, vt Romæ poſt ſancitum,oſſeo. ſed hujuſmodi perſequi ſi vellemus, nunquam finem ſcribendi faceremus. Sed, vt ab his abeamus, quam mole-
115. ſti ſunt illi, qui ad explanandam ſententiam Ariſt.inculcāt omnes locos Platonis,ejuſdē Ariſtot. Theophraſti, Galeni, Plotini, & aliorum, qui in eadem ſunt ſententia: vt his coaceruandis veritatem aſſerere videantur: cum *ſimplex veritatis*, vt ait Euripides, *Oratio ſit*, neque tot teſtibus egeat: niſi forte, vbi nodus vindice dignus, & inexplicabilis
116. majorem lucem deſiderat. Nam quid dicam de illis, qui quęcunque vox occurrat homonyma, omnes ejus ſignificationes accumulant varijs locis Ariſt. & aliorum illuſtratas? quos ſatis, ſuperque monuiſſe Ariſt. ſui errati potuiſſet, qui lib. 1. de Demonſtratione obſeruat à Mathematicis non diſtingui nomen *circuli*, quod & Græce,& Latine in ſatis multas ſignificationes tribuitur, ſed poſita ejus definitione, qua contenti ſunt, cæteras ſignificationes, vt alienas ab eo inſtituto,facile tolli. Sunt & alij moroſi congerendis varijs opinionibus etiam minutorum Philoſophorum,atque illis magno ſtudio dijudicandis. Hi non tenent memoria, aut ſi tenent, non probant illud conſilium
Ariſt.

Ariſt.lib 8. Topic.*non eſſe cum quouis diſputandū.* Potuiſſem ego in explanatione illorum verborum; *ſunt ea, quæ ſunt in voce,&c.* tres explanationes Hermini, Alexand. & Porphyrij referre, de illiſque judicium facere. Sed cui vſui, cum locum ex decretis Ariſt.& congruenter ejus Methodis, atque technologiæ explanaſſem: è quibus, ſi optio mihi daretur, mallem illam Alexandri: quanquam in ſingulis aliqua veritas incluſa eſt. Quid 117.
dicam de Quęſtionibus quæ licet multis locis magno ornamento eſſe poſſunt, tamen ſæpe,& ſæpius alieno loco obtruduntur: Vt in hoc ipſo Capite quæſtiones illæ diſceptantur ſignificent ne Nomina natura, an ex inſtituto; & ſint ne Affirmatio, & Negatio ſpecies Enūciationis, de quibus Ariſt diſputat cap. de *Oratione:* Illæ vero magis ab hoc Capite,& à tota Logica abhorrent, quę hoc capite vulgo afferuntur: Quid ſit Veritas,& in quo ſit: quod & prudentiores fatentur ad primam philoſophiam pertinere. ſed interim illas hoc loco cum præfatione veniæ,& pro captu, vt ajunt Logico, diſputant: Mul- 118.
to moroſiores ſunt ſuperioribus qui non ſolū verba Ariſt. interpretantur, verū etiam Roiſij Arabis, quem *Commentatorem* per excellentiā nominant. Tolerabiliores fortaſſe his ſunt, qui Allegorijs, & myſterijs Pythagoric. aut Platonicis explanationes ſuas re- 119.
plent:

plent: vt Simplicius in Commét. Categór. ex Iamblicho, & Proclus ad Euclidem: ferédi tamen non ſunt, præſertim in Ariſt. explanando, cum ab ejus ſenſu, atque decretis longiſſime abhorreat genus ejuſmodi ſcribendi, quod Poëticum ille appellat libr. 2. Meteorol. Itaque nuſquam memini ejuſmodi interpretationem Ariſtot. me legiſſe niſi in fabularum Poëticarum explanatio-
120. ne: qualis illa ex libr. 12. Odyſſ. quo loco ſcribit Homerus in inſula Sicilia ſeptem armenta boum paſci, atque in ſingulis quinquaginta boues fuiſſe, qui nunquam perirent. Quem locum interpretabatur Ariſtot. (vt in Didymi ſcholijs, & Euſtath. legitur,) de anno Lunæ duodecim menſium, qui explent præter propter 350. dies. quia annus
121. Lunæ. 354. diebus conficitur. Dicet aliquis: At in ijs, quæ videntur ab optimi Interpretis munere abhorrere, multa latent vtilia. Id vero non negabo. neq, continuo omnia effundenda, ſed modus in eo adhibendus, vt ea ſolum, quæ ſunt præſenti inſtituto con-
122. gruentia, exponantur. Quid elegantius, quã quod obſeruat Boëtius hoc Cap. contrario ordine progredi eum, qui docet, atque eum qui diſcit? etenim eum qui docet, ſumpto initio à rebus per medias notiones in voces deſinere, contra eum, qui diſcit à vocibus orſum, notionum interuentu in res deſinere.

neque

neque tamē illud neceſſarium ad hujus Capitis intelligentiam. neque eo conſilio à Boëtio hoc loco affertur. quanquam negari non poteſt, quin aliquem vſum poſſit afferre,non omnia tamen quæ vſui eſſe poſſunt,exprimenda,ſed,quod prudentiſſime à priſcis vſurpatum, *quantum ſat eſt*. An exiſtimas non potuiſſe plura à nobis hoc Cap. afferri,quę ab ejus inſtituto non eſſent aliena? Quale illud Diodori Siculi,duo olim 123.
genera litterarum fuiſſe, quibus Æthiopes, & Ægyptij vterentur:vnum obſcurius *Hieroglyphicarum*;alterum facilius,Plebeiarum: illo ſacerdotes vſos; hoc vulgus, vt noſtris litteris maiuſculis, aut *initialibus*, vt loquitur D.Hieronymus. Ex quo illud ſequitur, licet vtrunque genus ex inſtituto ſignificaret, magis tamen illas Hieroglyphicas ejuſ- 124.
modi fuiſſe, quæ minus vulgo notæ erant: vt cum *Annum* ſignificaturi, *ſerpentem* pingebant, *qui caudam ſuam voraret*. de quibus extat libellus. Ori. Apollinis à Philippo quodam in ſermonē Græcum ex Ægyptio, vt index præ ſe fert,conuerſus.Extant & apud alios ſcriptores, præcipue autem apud Ioan. Pierium Valerianum, multa de eodē argumēto.Potuiſſet à nobis afferri etiam illud Fortunatiani ex illius Dialectica,Nomina per Onomatopœiam ficta Natura videri ſignificare: vt *Tinnitus*, & ea, quæ ex compoſitione

poſitione ſoni litterarum dulci, aut aſpero rei naturam declarant: vt *Trux*, ferociam propter aſperum ſonum, & vaſtum litterarum, r &,x, Omnia tamen perſequi infiniti eſſet laboris. ne igitur plus moleſtiæ exhibeam,complectar breui ſummam superio-
125. ris diſputationis. Optima itaque & expeditiſſima ratio docendæ Philoſophiæ eſt ea, quæ nullius addicta aućtoritati res ipſas,aut certe præceptiones Methodo tradit: proxima,quæ propter ingenij noſtri infirmitatem Ariſt. ſcriptis addicta, ea ex Methodis ejuſdem Logicis explanat,ac ſicubi inciderit locus ex prima Philoſophia, eum ex ejuſdem libris interpretatur: ac tandem,ſi quis ornatus ex Rhetoricis acceſſerit, eum ex ejuſdem Rhetoricis, atque Poëticis repetit.

SVMMARIVM,

Cap. VI.

1. *Diſcentem oportet credere docenti.*
2. *Sciat Hiſtoriam partis diſcendæ.*
3. *Præcedenti capite dictorum repetitio & applicatio.*
4. *Concluſio totius libelli.*

CAP. VI.

De exercitationibus quibus ſe auditores Philoſophiæ continere debent.

ILLVD primum omnium auditor Philoſophiæ præſtare debet, quod Ariſtot. in Elenchis præcipit, *oportere diſcentem credere:* hoc eſt, vt quamdiu Philoſophiam diſcit, magno ſtudio, & attentiſſime accipiat ea, quæ à doctore traduntur, dum id, quod docetur, plane comprehendat. 1.
Alterum illud eſt obſeruandum diligenter, quod indicat Ariſtot. lib. 1. Nicomach. vt cum Logicam nouerit, conetur antea Hiſtoriam partis diſcendæ comparare, atque obſeruet diligenter, num magiſter recte accommodet Methodos Logicas pro natura Hiſtoriæ, quam ejus partis nouit. 2.
Illud vero omnium maxime enitendum, vt ſuperioris Capitis præceptiones in diſcendo accurate ſequatur, quas in docendo tenendas præceptori demonſtrauimus. Primum igitur, ſi poſſit, ipſe per ſe conetur cognita rei hiſtoria, & adhibitis Methodis Logicis, rem ipſam tantiſper poſitis libris noſſe: cumque ſcriptorem aliquem, vt Ariſtot. adire voluerit, 3.

primũ pędiam ejus loci exquirat congruenter præceptis methodi Logicæ: ita, vt in ijs, quę ad opiniones aliorum infirmandas pertinent, aut ad Quæſtiones diſputandas Topicorum præceptis vtatur. Quod autem ſpectat ad ſcientiam, ad Analytica referat: Exercitationem autem ornet multis exemplis alienis, & à ſe repertis. ac, cum Logicam audiet, atque illam partem primæ Philoſophiæ, quæ omnium artium communis eſt, vt ſingularum præceptionum vſum exquirat, vel minimum, eumque cum in aliorum ſcriptis, tum in exemplis ſuis aſſidue exerceat. Illud vero omnium longe vtiliſſimum, ſi doctor illi proponat argumentum aliquod à veteri aliquo Philoſopho antea tractatum, auditori tamen ignotum: vt cum illud ipſe ſua induſtria compoſuerit, poſſit, quando ſuum cum veteri comparat, perfectius illud reddere, & emendare. in vtraque autem Philoſophia, atque etiam in Logicis, & vno verbo, in omnibus Syntagmaticis libris illa tria animadvertenda ſtudioſiſſime, quæ ſupra monuimus. Primum, vt ſcopum cuiuſque libri perſpiciat. Deinde, vt ſingula præcepta ad illum referantur, ex eoque apta pendeant. Poſtremo, quam congruenti elocutione Ariſtot. aut quiſpiam alius, vt Theophraſtus vtatur. In practica vero Philoſophia illud prætetea addendũ, vt omnia

ad

ad actionem, & vitæ honeſtæ conſuetudinem traducat. Oportet quoque vt varietatem exemplarium ſi quę nactus,aut tranſlationum primum conſulat, & explanatores, ſi quos parauit, vt ijs præſidijs inſtructus certius poſſit,dum ſuas obſeruationes cum præceptoris ſententia confert, ſua errata agnoſcere, eaque diligenter corrigere. Monet præterea Simplicius, vt cum alijs condiſcipulis ſe exerceat cum in arte ipſa per ſe percipienda, tum in Ariſtot. ſcripto intelligendo, nec ſit pertinax, neque litigioſus,ſed patienter concoquat ſingula ad eum vſque finem,dum Veritatem percipiat:quam,cum comprehenderit, danda maxime opera eſt memoriæ, vt ſingula,quæ didicerit, quotidie recolat perpetua ſerie, vt in promptu ſingula, cum opus fuerit, occurrant, tantumque ſe didiciſſe quiſq; arbitretur,quantum memoria conſeruarit. Hæc eſt ſumma totius diſputationis breui comprehenſa, 4.
qua videtur remedium aliquod afferri poſſe ſtudijs Philoſophiæ, ſi quid in illis percurrendis hactenus, aut negligentia, aut alia ratione peccatum, atque ad priſtinam, & antiquamPhiloſophandi formam quodammodo poſſe reuocari. Hanc qui inſiſtent viam, ſin minus perfecti, quod vix in tanta paucitate eorum,qui veræ Philoſophiæ ſtudioſi ſunt,ſperandum,euadent,ad proximos

tamen, quod eſt maxime optandum, accedent: in omnique deinceps artium genere, quod diſcendum ſuſceperint, mirabiliter excellent. Quod vtinam aliquando contingat, faxit Deo Opt. Max. eamque curam, & mentem omnibus ſtudioſis Philoſophiæ, & ijs, qui rerum publicarum & Scholarum adminiſtrationi præpoſiti ſunt, injiciat, vt toto pectore, animoque in hanc curam vindicandæ, & in priſtinam dignitatem reſtituendæ Philoſophiæ communi opera incumbant.

SEBASTIANI FOXII
MORZILLI

DE

PHILOSOPHICI
ſtudii ratione

Ad

FRANCISCVM FRATREM

LIBER.

Digitized by Google

Digitized by Google

SEBAST. FOXII MORZILLI
De Philoſophici ſtudii ratione
AD
Franciſcum Fratrem
LIBER.

EGo vero mi frater nec tibi longàm ſtudiorũ rationé, quã alij iuſtis voluminibus perſequuti ſunt, in præſentia exponam: nec id nunc mei conſilij ratio poſtulat, quæ ad Phyſicen potius docendum, quam ad ſtudij informationem tradendam à me inſtituitur: ſed quæ communibus Philoſophiæ ſtudijs conducere videantur, ea maxime complectar: tu, quod reliquum eſt, his induſtriam, atque operam tuam conſilijs, & monitis præceptorum adjutus adhibeto. Daturus ergo huic ſcientiæ præſtantiſſimæ, atque vtiliſſimæ operam, id in animum tuum velim primum inducas, tibi totam in Philoſophia ætatem nequaquam eſſe terendam, ſed partem ali-

quam,& eam,quæ hujus ſcientię notitiæ aſſequendæ ſit ſatis. Nam quæ à quibuſdam Philoſophandi ratio iniri ſolet, vt in eo ſtudio conſeneſcant,& tanquam in extremo laborum curriculo acquieſcant,deſerta grauiorum diſciplinarum cura, mihi nunquam probatur,præſertim in ijs, qui Reipub. ſuæ commodis inſeruire decreuerint. Id ego ab ſtudioſis omnibus artium omnium magnopere deſidero,vt neque quæſtus, neque ambitionis, ſed ſciendi, & conſulendi alijs cauſa ei ſeſe facultati applicent, quæ ipſorum ingenio congruat,quæq; aliquando ſit ſuę Reipub.hominibus profutura:cui tamẽ ſiquam aliam ornamenti cauſa adjungant, non minori cura, quam reliquis dare operã debebunt, quamdiu eidem ſtudẽdum decreuerint. Qua de cauſa ſummopere Challiclis ſententiam in Platonis Gorgia, licet à Socrate refutatam, amplector, & laudo, qui cum referenda noſtra omnia ſtudia ad Reipubl. vſum, non ad inanem duntaxat contemplationem cenſeat, vtilitati publicæ potius, quam priuatæ voluit prouidere. Et ne pluribus fortaſſe, quam æquum ſit, hoc doceam, quod notum omnibus, tibi perſuaſum eſſe cupio: ſic puta,ſtudia Philoſophiæ, quamuis vtilia, & jucunda, ad earum aliquam ſcientiam, quæ hodie in communi Reipubl. vſu verſantur, referenda,

da, non vt extrema ſemper, ac mordicus retinenda.

Vnde præclarè factum à viris prudentiſſimis, doctiſſimiſque videmus, vt cum tribus potiſſimum rebus Reſpubl. omnis teneatur, religione, legum obſeruatione, ſanitate ciuium: tres omnino facultates, à quibus ea mutuamur, inſtitutæ ſint, vt extremæ: Medicina, Iuriſprudentia, & Theologia (Chriſtiana nimirum, non illa Mythologia) quibus ſeſe homines ſtudioſi dedant, quo Rempublicam juuent commodius. Harum aliquam, vt quiſque ingenij propenſione, & induſtria valuerit, tanquam pręcipuam, & ſui muneris propriam amplectatur: in hac toto pectore (vt ajunt) & viribus, quamdiu eidem ſtudeat, incumbat: cæterarum verò artium ſtudia ita ſuſcipiat, vt ad illa omnia referat, non ad hęc illa. Hoc fine propoſito, ſic te ad Philoſophiæ ſtudia compara, vt hanc viam certiſſimam ad earum trium, quas antè retuli, diſciplinarum quamcunque optimè diſcendam eſſe arbitrêre: imò ſine qua mihi nemo rectè, nemo fœliciter, nemo perfectè vllam grauiorem ſcientiam cogniturus videatur. Id tibi poſſem in multis (vt de me taceam) oſtendere, qui cum mediocriter in Philoſophia fuiſſent prius verſati, non ſolum aliquod ſcientiæ genus magno cum fructu didicere, ſed

aliarum etiam artium omnium patentiſſimum aditum habere. Nec vero mirum tibi, aut cuiquam videri debeat, ſi ad Iuriſprudentiæ notitiam, cui tu deditus es (nam de Theologia, & Medicina nemo dubitat) neceſſariam eſſe dicam Philoſophiam: cum nemo Iuriſconſultus eſſe, vel eo nomine jure dignus cenſeri debeat, aut poſſit, qui non intima Philoſophiæ præcepta cognorit, vt hinc tanquam à fonte juris originem arceſſat. Nam reliquos, qui poſt adeptam linguæ Latinæ notitiam exiguam, ſi Dijs placet, & mancam, ad Iuris ſeſe ſtudia contulere, nullis aliarum artium pręſidijs ſepti, quantumuis illi facultati longo tempore, & labore ſtuderint, non Iuriſperitos, ſed ineptos leguleios, ac legum paucarum noticia, memoriaque imbutos appellandos exiſtimo. Poſſem equidem multis & argumentis, & teſtimonijs probare, Philoſophiam Iuriſprudentiæ adeo neceſſariam eſſe, vt nec leges denuo condi, nec Romanorum, aut gentium aliarum jura ſine illa intelligi poſſint, ni longior eſſe vererer. Abunde tibi tamen ſufficiat hoc noſtri familiaris Ioachimi Hopperi viri doctiſſimi exemplum, qui ob perfectam Philoſophiæ notitiam, quam habet, non modo reliquos omnes Iuriſconſultos, quicunque abhinc multis annis illam

illam artem docuere, in eaque magna cum laude verſati ſunt, ſuperat; ſed illa etiam, quæ nemo ante illum tentarat, aut fieri poſſe putarat, inuenit, perfecit, & ſumma cum omnium admiratione docuit. Minimè igitur tibi dubium videri debet frater, quin vtiliſſima Iuriſperitiæ, & reliquarum diſciplinarum notitiæ ſit Philoſophia. Cujus ne commoda enumerare potius, quam ediſcendæ rationem præſcribere (id quod in præſentia ſtatui) videar: quam te velim in eo ſtudio viam tenere, paucis oſtendam. Quoniam ergo & Latinæ, & Græcæ linguæ mediocriter ab Alfonſo Metimnæo viro erudito, præceptore tuo inſtitutus es (id quod in omnibus cujuſque artis ſtudioſis ante omnia, quam poſſit fieri perfectiſſime, ineſſe velim) proximum eſt, vt te ad artes diſſerendi conferas, à quibus & eloquentiam, & judicium, & ad omnia ſummam facultatem aſſequi poſſis. Itaque quando Grammaticam vna cum Latina, Græcaque lingua didiciſti, nec tibi hac amplius opus eſt arte: reſtant Dialectica, & Rhetorica, quas ſumma debes cura addiſcere, quippe cum inde ingentem ad omnia vtilitatem ſis comparaturus. In his autem docendis, & ediſcendis, quia non parum à multis peccatur, dum alij Ariſtotelis de

Diale-

Dialectica libros, alij compendiola quędam eorum (nam Barbaros illos, & immanes Sophiſtas, qui pro Dialectica vera Summulas, vt ipſi vocant, & Terminos, portentaque alia librorum horribilia nobis reliquere, quoſque magno Dei beneficio vbique à doctis omnibus pridem exploſos cernimus, ne dignos quidem judico, qui hic nominentur) dum alij denique alios de Dialectica, & Rhetorica libros tum antiquorum, tum recentiorum non admodum bene ſcriptos legunt, aut ſuis interpretantur.

Quamobrem inprimis totam illam Ariſtotelis Dialecticam vt obſcuram, perturbatam, & juuentuti rudiori parùm vtilem reijcias velim: non quod ab ejus lectione prorſus abſtinendum tibi putes, (ſunt enim in illa multa, & ſcitu digna, & vtilia) ſed vt per te illam, ſi libeat, poſt cognitam ex alijs Dialecticam, adhibitis Græcorum interpretum commentarijs, legas, ad Ariſtotelici acuminis vim, & artis præcepta quædam, quæ ſparſim, ac ſine ordine in eos libros conjecta ſunt, cognoſcenda. Itaque aliam tibi potius cujuſquam auctoris recentis Dialecticam (nam antiquorum nulla extat perfecta) quam Ariſtotelis principio ediſcendam ſuadeo, quæ te non in ſcholis vociferari, vel cum alijs pertinaciter digladiari doceat: (quod præcipuum Dialecticæ cæca

illa

illa Sophiſticarum ignorantia munus eſſe judicauit)ſed quæ te quacunque de re aptè, prudenter, artificioſe aut dicere,aut ſcribere, aut in auctorum libris, quæ ſic ſint ſcripta, intelligere, ac judicare doceat. Nam argumentari, & rationes rationibus alijs conferre,quamuis ex arte facere doceamur, tamen id naturale, & commune eſt etiam cum vetulis, & opificibus operas ſuas venditantibus: quas vel dum alijs obtrudunt, Dialecticè argumentantur. Ergo id maximè in Dialectica tibi conandum eſt,vt quãcunque poſitam quæſtionem, adductis ex ejus locis rationibus conſentaneis, tractare aptè, conuenienter, ac verè poſſis: ſi vel ſcribendum tibi ſit aliquando, vel quæ ab optimis quibuſque auctoribus ſcripta ſunt, ordine, via, rationeq; intelligenda, & alijs explicanda ſint:idque perſpecto prius accurate inſtituto, fine, ordine,rationibus,argumentis, diſpoſitione cujuſq; diſputationis. Quæ hęc te docuerit Dialectica,viamque ad id efficiendum oſtenderit, eam tu perfectam, & commodam exiſtimato: cæteræ vt inutiles, & friuolæ planè repudientur.Hujuſmodi conſilio deſcripti extant hoc tempore plurimi à viris doctiſſimis libri deDialectica, quos neceſſe non eſt à me recenſeri, ne ferre temere de quoquam judicium videar. Id tamen te hortor, ac moneo, vt

Cornelij

Cornelij Valerij noſtri Dialecticam legas, non modò amicitiæ ſingularis, quæ mihi cum viro illo intercedit, nomine, ſed vtilitatis etiam, quam ex ejus libro ſis comparaturus. Neque enim ille te tantum veram Dialecticæ artem, atque vſum, verumetiam eloquentiam, & puritatem ſermonis edocebit: quam ego artium cognitioni ſemper adjici velim, ne fœditate orationis, exemplo Sophiſtarum, politæ artes dehoneſtentur. Dialecticæ continuo eloquentiam adjungendam eſſe exiſtimo, vt lumen orationis accedat diſpoſitioni, & ſubtilitati argumentorum. Si enim earum alterutram ab altera ſeparemus, ac ſola vti Dialectica, aut Rhetorica velimus, in ſummum vel ariditatis, vel loquacitatis vitium incidere neceſſe eſt: cum, ſi Dialecticis præceptis vtendum ſit ſolum, jejune, & frigide, Sophiſtarum more loqui oporteat: aut ſi Rhetoricen tantum ſequamur, nihil præter inanem verborum volubilitatem habeamus. Conjungendę igitur ſunt hę ſemper duę artes, quemadmodum Ariſtoteles, alijq; magni viri præcipiunt, non à ſe inuicem ſegregandæ. Atque in hac etiam Rhetoricæ arte ſic ſemper frater te exerceas, vt vſum dicendi, vel ſcribendi, interpretandive auctorum artificium requiras, non declamandi tantūmodo rationem inutilem, & temerariam: qualem

qualem olim pueri non admodum benè inſtituti tenebamus. Sunt & hujus artis præcepta prudenter, & copioſe à multis collecta tum antiquis, tum recentioribus: quorum alteri tamen æquo longiores fuere, ac plus illi arti, quam par fuit, tribuere, vt antiqui: alteri friuolam quandam, ac inutilem præceptorum enumerationem, ignoraro vero artis vſu, fecere. Quo nomine vnius ex tanta ſcriptorum turba Ariſtotelis libros de arte dicendi ad Theodectē, vt perfectiſſimos, aut Ludouici Viuis eadem de re leges, qui multum in hoc ſtudio poſſunt vtilitatis adferre. Sed nolo te frater amplius tam multis præceptis, dum prolixitatem fugio, onerare, cum alio me ſuſcepti ſermonis vocet inſtitutum. Veniam ad illa Philoſophiæ ſtudia, quibus de agere incœpi, deſcribenda: nam quæ hactenus retuli, vt viam ad hæc ipſa præmunirent, attigiſſe ſatis eſt. In hoc ergo ſtudij genere quantum & peccetur hoc tempore, & multis abhinc annis peccatum fuerit, indicat Philoſophiæ ignoratio, quæ vel publicas etiam ſcholas, vbi magno cum applauſu docetur, miſerrime occupauit. Qui error ex his potiſſimum cauſis duxiſſe ortum videtur, quod aliqui vnum tantūmodo auctoré ſequuntur, & hujus vel agnita vitia tuentur pertinaciſſime: vnde omnium Philoſophorum

rum ſectę natæ ſunt: alij, nullo ordine adhibito, judiciove, quæ in quibuſdam ineptiſſimis dictatis, quaſi hæreditate ab ineptis magiſtris accepere, ſolum legunt, & ediſcunt, ijſque confuſè, & leuiter notis, ad alia ſeſe ſtudia lucri auiditate conuertunt: alij ſunt adeo ſeruili, & præfracto ingenio, vt in verba præceptorum jurantes ne per ſe quidem aliquid audeant vel excogitare, vel addere, vel detrahere; non modo ab ineptijs, in quibus ſunt enutriti, non diſcedere: alij, quæ Philoſophię maximè neceſſaria ſunt, & jucunda cognitu, ea negligunt tanquam à ſe aliena, quæ vero minus, vt vulgares quaſdã quæſtiones, quæ argumentandi, contendendive præbeant occaſionem, conſectãtur. Hinc effectum eſt, vt perpauci Philoſophiã conuenienter addiſcant, aut doceant, cum pleraque in illa prorſus ignorent, quę ſi noviſſent, fortaſſe de illa verius ac melius ſentirent. Sed nolo amplius in reprehendendis aliorum vitijs moroſior eſſe, ne mea oratione quenquam offendam. Accedam potius ad illud, quod ſtatui faciendum hoc loco, vt tibi meam omnem de ſtudij Philoſophici ratione ſententiam exponam. Quam tu rogo ſic frater amplectare, vt ex beneuolo, atque vtilitatis tuæ ſtudioſo, animo profectam, non vt ab homine oſtentationis, arrogantiæque cupido.

Equidem

Equidem ad Philoſophiæ ſtudia, vt ad ceteras artes, eo prorſus animo accedendum cenſeo, vt in omnibus ſumma cum primis religionis Chriſtianæ ratio habeatur: nec omne id quod rationi noſtræ congruere, vel à Philoſophis magnis aſſeri videamus, continuo arripiatur tanquam omnino verum, ac certum. Sunt enim in Philoſophia permulta pro veris, atque exploratis aſſerta, quæ ſi quis mordicus retinere velit, ſuperſtitione, aut impietate neceſſario obligetur. Hujus generis ſunt diſputationes illæ de mundi æternitate, de fato, de materia, de animi eſſentia, immortalitate, de diuinatione, deque alijs hujuſmodi quæſtionibus: quæ niſi ad noſtræ religionis normam dirigantur, & diligentiſſime perpendantur, inficere piorum animos poſſint. Extant illuſtria multorum de religione noſtra peruerſe ſentientium ob nimiũ Philoſophiæ ſtudium, exempla, quæ tibi poſſem referre, ni longius extra rẽ digredi nollem. Quorſum enim illius Arrij impijſſimi de filij Dei generatione à parente errorẽ commemorem? Quid Marcionis, & Manichæorum? Quid Eunomij, Baſilidis, Cherinti, aliorumq; hujuſmodi, qui impijs opinionibus Chriſtianã remp. attriuere? Sed redeo ad id, vnde digreſſus ſum. Cũ jam hoc animo ad ſtudia Philoſophiæ accedendum tibi ali-

quando ſtatueris,ſemperq; ob oculos Chriſtianę religionis decreta tanquam certiſſimam regulam habueris: à qua diſcrepantes Philoſophorum ſententias negligas, congruentes ei approbes: æquum eſt etiam, vt artium Mathematicarum aliquem ſaltem guſtum capias: non tam ad earum notitiam, quæ pulchra, & commoda eſt, quam ad ipſam Philoſophiæ notionem, quam ſine illis aſſequi perfectè nunquam poteris. Et quoniam harum artium ſtudium longius, ac difficilius eſt, quam vt breui tempore confici poſſit, ediſcenda tibi quidem erunt vtiliſſima quæque & ea, quæ ad Philoſophiam, atque aliarum rerum vſum pertineant, non quæ ad ſterilem contemplationem tantummodo. Vellem profectò harum diſciplinarum aliquod à viro quopiam docto compendium ſcriptum eſſe, quod rem vniuerſam perſpicuè, breuiter, & exactè complecteretur: à quo ſtudioſi communem hujus ſcientiæ notitiam, omiſſis multis inutilibus rebus, petere poſſent: ſed quando nullum extat (quod ego quidem viderim) lectu dignum, aut vtile, meum tibi ea de re conſilium aperiam: quod, ſi quādo mihi otium, ac tempus ſuppetat, literis mandabo. Quādo igitur Arithmeticen principio debes, vti ratio, atque vſus poſtulat, ediſcere, cura ſemper, vt ejus vni parti, quæ vulgo Practica

ctica nominatur, Theoricen alteram adjungas, id eſt, non ſolum numerandi rationem, ac præcepta teneas, ſed etiam cauſas, & demonſtrationem præcepti cujuſque. Itaque poſt lectam, vel à doctore auditam Arithmeticæ breuem aliquam artem: qualem Gemma Friſius præceptor noſter, vel Orontius vir doctus, atque alij hoc tempore ædidere: Boëtij tu, aut Pſelli Theoricam adhibeto, quæ te numerorum naturas, affectiones, rationes, figuras, proportiones, aliaque id genus oſtendat: quæ ab Euclide quatuor libris obſcurè, & ſparſim, à ſexto vſque ad vndecimum, comprehenſa ſunt. In hac autem arte ediſcenda, ea vti cautione opus eſt, vt in Arithmetica Practica demonſtrationem præceptorum ſeu regularum omnium, quæ in vſu verſantur, à præceptore quæras: hæc enim vera eſt numerorum Theoria: In altera vero Theorica vſum, & vtilitatem eorum, quæ demonſtrantur in numeris, id eſt, quæ quibus rebus vtilia ſint, quis eorum vſus, quæ commoditas, ad quas ſingulæ res accommodari poſſint. Hæc enim vera eſt Arithmeticæ artis traditio, & ratio: non illa, quam temerè paucorum vndique præceptorum exemplis collectis ſine ordine, ſine via, rationeque ſcientiæ plerique tradidere. Arithmeticam Geometria mox ſequetur, quæ rerum conjunctarum magni-

tudinem eodem modo, quo illa diſiunctarum, dimetiatur. Hanc ex Euclide, quando alius extat nemo, qui dignum aliquid ſcripſerit, petere, neceſſe eſt: ita tamen, vt ſingulas propoſitiones, ac theoremata in aliquem vſum referenda eſſe, non ſterilem tantum illam contemplationem præ ſe ferre arbitrere. Ergo, cognita cujuſque poſitionis demonſtratione, vſum ejus, & praxim (vt ſic loquar) inquire, vt & finem illius agnoſcas, & aditum ad alios vſus excogitandos, & dignoſcendos habeas patefactũ. In hac etiam arte, quæ vtiliſſima, & pulcherrima eſt, eſſe aliquam communem demonſtrandi rationem propoſitam ſtudioſis optarem: quam ſi omnes ſequerentur ducem, demonſtrare quidquid poneretur, poſſent. Ita enim fieret, vt artis verum vſum aſſequerentur, & varijs modis eandem rem poſſent demonſtrare: quod ad ejus ſcientiæ confirmationem, exercitationemque multum conduceret. Nam ſingulas propoſitionum demõſtrationes tenere, prout à Theone traditæ ſunt, præterquam quod difficillimum, & laborioſum eſt propter memorię imbecillitatem, alienum eſt etiam ab omni artis ratione: quæ non ſingularia, ſed communia debet ferre præcepta: quæ ſequuti nos facile ad quamcunque rem accommodemus. Verum hæc aliquando, ſi per occupationes

pationes grauiores liceat, vt excogitare cœpimus, perficimus. Ad hæc Aſtrologiæ, & Muſicæ breuem addes cognitionem, non vt in ijs artibus multum operæ ponas: quæ longo eſſent ſtudio comparandæ, ſi perfecte ſint addiſcendæ: ſed vt quæ in ijs ſint tibi vtilia, & aliarum rerum intelligentiæ congruentia conſecteris. Atque Aſtrologiam quidem ſic arripe, vt demonſtrationes cujuſque rei ſemper afferas, ſi vel de Spheræ circulis, vel de cœlorum motu, varietateque conuerſionum agendum ſit: hoc enim veræ ſcientiæ eſt: at illud, quod narratione quadam perpetua docetur, ineptæ potius explicationis. Huic alij partem aliam Magicam, & à Dæmonibus ſine dubio, vt præclare inquit Tatianus, inuentam adijciunt, quæ futura prædicit. Quam tu prorſus vt falſam, ſuperſtitioſam, inutilem, pernicioſam, & à viro probo alienam repudia. Porro Muſicam eam, quæ eſt ab antiquis deſcripta, vt à Plutarcho, Pſello, Boëtio, etſi ad multorum locorum intelligentiam conducere videam, quæ paſſim apud Philoſophos incidunt: tamen breuiter, curſimque tradi oportet, cum nullũ fere alium vſum habeat præter illum, quem diximus, & ab hac noſtra vulgari, & vſitata Muſica maxime differat. Quam tamen ſi qua ratione cum hac ipſa conjungi poſſe,

vt ad vſum referretur aliquem, intelligerem, eidem vtpote vtili,& ad vitæ,ac laborum moleſtias leuandas neceſſariæ ſtudendum accurate conſulerem. Satis, vt ego arbitror, ad ſtudia Philoſophię inſtructus his artibus accedes, magnaque tibi ad hæc inde afferes adjumenta. Reliquum eſt, vt quo te putem ordine in Philoſophia ipſa verſari oſtendam. Cum artes omnes magnam afferant diſcentibus difficultatem tum ob ipſarum obſcuritatem, tum ob ingeniorum rudiorum hebetudinem, breui compendio debent à pręceptoribus principio doceri, vt rem paucis comprehenſam teneant facilius, & intelligant ſtudioſi. Ideo laudari ſatis eorum induſtria non poteſt, qui late diffuſas artium præceptiones in breuitatem redegerint, vt initio ita juuentuti tradantur, vt multitudine rerum ingenia non obruantur, aut antequam cœperint artes addiſcere,ſummo eas odio proſequantur. Nec verò rem tam conciſe doceri cupio, vt neceſſaria prætermittantur breuitatis ſtudio, aut obſcure, atque hiſtorico more narrentur præcepta, ſed perſpicuè, aptè, probabiliter,& vt ars ipſa poſtulat. Quibus ipſi quoque præceptores, quæ ad intelligentiam planiorem conducant, adijcient, ne nude omnia, jejuneque dicantur. Ipſi etiam ſtudioſi per ſe priuatis ſtudijs con-

contendant legere, & euoluere libros eos, qui eadem tractent, quæ illi, quorum à præceptoribus audiant interpretationem. Par denique vtriſque labor eſto, & induſtria: præceptoribus quidem, vt ſuos commode inſtituant, diſcipulis, vt exactam rerum notitiam aſſequi ſtudeant. Ac poſtquam à præceptoribus ijdem mediocriter eruditi ſint, incipiant per ſe tandem longius, quamdiu licuerit, progredi, & quæ ab illis acceperint, diligentiori lectione confirmare. Qua in re ne cœcus, & errabundus ancipiti animo verſere, dum in tanta Philoſophorum turba, quid eligas potiſſimum neſcias, dicam profecto quid ſentiam, non quid fieri debeat, ne meo velle alios judicio videar ſubjicere. Vniuerſa Philoſophia duas in partes à me alias diuiſa eſt, in contemplatricem, & actuoſam. Quarum illi tres partes ſubjeci, Phyſicen, Mathematicen, & Primam Philoſophiam: huic rurſus totidem alias, Ethicen, Oeconomicen, Politicen. Quibus etiam adjungendæ ſunt dicendi tres artes, Grammatica, Dialectica, & Rhetorica, non vti partes Philoſophiæ (neque enim ſunt) ſed tanquam inſtrumenta. Quibus de omnibus quando paulo ante ſententiam meam expoſui, & ijs pariter Mathematicarum diſciplinarum rationem addidi: tres illæ tantum in hoc

loco reſtant explicandæ, Phyſice, Philòſophia Prima, & morum ſcientia: cujus tres eſſe has partes diximus, Ethicen, Oeconomicen, Pòliticen. Ad Phyſices ergo notitiam Ariſtotelem imprimis legi oportet, qui cum populariter, & ad communem hominum captum ſcripſerit, atque ea magis, quæ cadant ſub ſenſum, conſectatus fuerit, principio eſſe legendus videtur. Nam Plato, & Academici à vulgo ſeſe abducere conati, diuiniorem quandam Philoſophandi viam ingreſſi ſunt: itaque qui bene ſit in Ariſtotelis lectione verſatus, is ſine dubio magnam Phyſices notitiam eſt aſſequuturus. Fuit enim vir ille adeo diligens ejus ſcientię indagator, ut quæ alij prius obſcure, ac breuiter admodum ſcripſerant multis allegorijs, & ænigmatibus inuoluta (vt antiqua fuit Philoſophandi ratio) ea ipſe apertius dixerit, affectata tamen in quibuſdam breuitate difficili, & lubrica: quæ tametſi permagnam afferat difficultatem, vulgaribus quidem ingenijs facilior eſt, quam illorum copia. In ipſo autem Ariſtotele legendo viam, atque ordinem intelligendi ſingula ſeruari oportet: tum aliquot interpretes adhiberi, qui non tam ejus omnem adimant difficultatem, quod fieri certe neceſſe eſt, quam variarum etiam rerum cognitione lectorem imbuant. Id enim com-

modi

modi affert Ariſtotelis obſcuritas,quod occaſionem auctores multos legendi præbet, id quod vel nulla oblata, ſtudioſi facere debuiſſent propter notitiam rerum ipſam. Ex omnibus ergo Ariſtotelis libris de naturæ Philoſophia primum legendi ij ſunt , qui περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως,id eſt, de auditione naturali conſcribuntur. Ij enim vniuerſam initiorum naturalium explicationem complectuntur: quàm cum Phyſico tenendam comprimis in noſtris ea de re libris diximus,& hos quoque Ariſtoteles libros legiſſe opus eſt. Ad quos, qui priorem noſtrũ de Naturæ Philoſophia librum legerit,quaſi erit introductus:quoniam eaſdem res noſter hic tractat, quas illi, ſed breuius, & apertius.Ergo cum hos cœperint Ariſtotelis libros ſtudioſi legere, difficiles, ac moleſtas illas Philoſophorum reprehenſiones æquo animo ferant, ac ſi diligenter Peripateticorum ſententiam noſſe velint , cognoſcant. Multum enim prodeſt,aduerſariorum argumenta,& opiniones intellexiſſe, vt quid recte,ſecuſve dicatur , noſcamus. Qua in re quoniam diuerſę Philoſophorum ſententię ab Ariſt. citantur,eademq; breuiter,& obſcure,non inutile fuerit Plutarchi libellũ de Philoſophorũ Decretis legiſſe,vt ex ijs ſententias eorum deſumas.Quibus cognitis,& illorum refutationes,& aliorum auctorum

innumerabilia loca intelligentur. Idem fere præſtant Græci interpretes (nam Latinorum nemo fere lectu dignus exſtat) vt Alexander Aphrodiſeus, Themiſtius, Simplicius, Philoponus: ſed hi quidem legendi ad eruendam Ariſtotelis ſententiam, & orationis difficultatem tollendam ſunt. Et quoniam ex Phyſicorum libris primus eſt de tribus initijs rerum, materia, forma, priuatione: ſecundus de cauſis, deque natura: tertius de motu, ac infinito: quartus de loco, & inani, ac tempore: quintus de motuum formis, & differentijs, deque quiete: ſextus de motuum magnitudine, proportione, duratione, continuitate: ſeptimus de collatione motuum cum motore ipſo: octauus de motore primo, & ejus æternitate: hi certe ſi conferantur cum priori noſtro libro recte, vt ipſe judico, ea omnia breui cognitione comprehendentur. Addatur ad poſteriores quinque Ariſtotelis Phyſicorum libros libellus is Procli de motu, qui vniuerſam rem exquiſite, pulcherrimeq; complectitur, Geometrarum exemplo cuncta demonſtrationibus docens: vt ſi quis eum legat, Ariſtotelis diſputationes de motu haud quaquam requirat. Libros Phyſicorum ſtatim quatuor de cœlo conſequuntur: quibus noſter ſecundus congruit: qui ideo ſecundo loco ſunt ab Ariſtotele poſiti,
quod

quod poſt initiorum explicationem de corpore naturali Phyſico diſſerendum ſit. Quod cũ aut ſimplex ſit, aut compoſitum, de ſimplicibus agitur primum, vt de cœlo, & elementis: tum de concretis. Itaque horum librorum primus de cœli eſſentia, figura, motu, vnitate, pártibus, & æternitate diſſerit: cui Phyſicorum octauus liber reſpondet: ſecundus eandem tuetur æternitatem, refutatis aliorum opinionibus, deque ſtellarum natura, figura, motu, ſitu, poſtremo de terra, ejuſque ſede, ac figura: tertius de elementorum numero, eſſentia, figura, ordine, ac motu: quartus de elementis, & eorum viribus, qualitatibuſque agit. In his quoque libris multæ occurrunt difficiles quæſtiones, quas Alexander Aphrodiſeus, & Simplicius in commentarijs in eoſdem explicant. Reſtant duo de ortu, & interitu, qui communes mixtionis elementorum cauſas oſtendunt: quibus ſecundi noſtri libri poſterior pars reſpondet. Horum etiam librorum primus communes ortus, & interitus cauſas vniuerſe continet, omniaq; motus genera quæ in Phyſicorum libris conciſe relata ſunt: ſecundus eandem rem docet accuratius, explicatis elementorum naturis, qualitatibus, motibus, & connexione. His addendus videtur proxime Meteóron quartus liber, vt veteres cenſent Peripatetici: in quo de

de viribus qualitatum elementorum in mixtis corporibus, deque illarum facultatibus, & mixtione ipſa diſſeritur. Quæ res non modo Phyſicis, ſed medicis etiam neceſſaria eſt. In hos libros eleganter ſcripſere Alexander Aphrodiſeus, Simplicius, ac Ioannes Philoponus. Quorum interpretatio vtilis eſt admodum ad ſententiam Ariſtotelis, & ad rerum variarum notitiam aſſequendam. Hactenus elementorum, & qualitatum, mixtioniſque corporum cauſæ ex his libris, & è noſtro ſecundo poterunt intelligi: ſed quia illas corporum miſtorum effectiones concretiones ipſæ debent mox conſequi, ea de cauſa tres libri Meteorologicorum priores legantur. Quorum primus de communibus elementorum viribus, loco, ordine, deque ijs, quæ in aëre cernuntur, vt crinitis, lacteo circulo, pluuia, nubibus, nebula, rore, pruina, grandine, ventis, fluminibus, fontibus, deque inundationibus agit: ſecundus de mari, ventis, & eorum varietate, ac regionibus, deque terræ motu, tonitru, fulgure: tertius de fluminibus, & eorum formis, deque alijs rebus, quæ accenſæ in aëre cernuntur. Quos etiam in libros tametſi accurate Alexander Aphrodiſeus ſcripſerit, commodum erit tamen Plinij ſecundum librum, ac ſeptem illos Senecæ de quæſtionibus naturalibus ac Theophraſti

phraſti de igne, ac ventis adhibere, vt horum collatione vniuerſa res intelligatur perfecte. Cui etiam rei tertius liber ex noſtris, qui ea de re ſcriptus eſt, non parum conducet. Sequuntur miſtorum perfectorum cauſæ, quæ magnam Phyſices partem continent: quas nos in quarto libro perſequimur. Huius generis ſunt ſtirpium generatio, & natura, quam à Theophraſto, Plinio, Dioſcoride, alijſque hiſtoricis petere oportet: tum lapidum, metallorum, quæ breuiter Ariſtoteles in fine libr. 3. Meteôron, & Theophraſtus in libello de Lapidibus, ac Plinius docuere: ſed optime omnium Georgius Agricola; poſtremo animalium, de quibus vberrime, atque abſolutiſſime Ariſtoteles ſcripſit, Plinius, Ælianus, atque ætate noſtra eleganter Edoardus Vuottonus Anglus. Ad harum rerum notitiam problematum Ariſtotelicorum, ac Plutarchi, & Alexandri Aphrodiſei, atque aliorum quicunque problemata collegere, lectio adhibeatur, quæ multa ſcitu digna, jucundaque poterit docere. Quorum omnium tam eſt vtilis, ac neceſſaria cognitio, vt quæ his prius in Phyſica tradi ſolent, moleſta, & inutilia ſint, ſi cum his ipſis conferantur. Si enim vtilitatem è Phyſica requirimus, vnde major, quam ex ſtirpium, animalium, metallorum,

lapidum cognitione comparari poteſt, quorum eſt frequens in vita vſus, & neceſſitas? ſi iucunditatem, quænam rurſus major eſſe hac poteſt? niſi forte moleſtas illas de primis rerum initijs diſputationes his anteferendas exiſtimes: ſi rerum denique peritiam, vnde obſecro quiſquam vberiorem queat comparare? Quapropter ridere ſatis non poſſum eorum ineptiam, qui peracto quodam, vt ipſi vocant, inepte artium curſu, ad alias ſeſe continuo diſciplinas referunt harum rerum, quas dixi, noritia deſtituti: quas dum negligunt, ipſi à ſe ſuæ inſcitiæ pœnas ſatis magnas exigunt, dum ſe optimarum rerum cognitione priuant. Atque ego ſane non modo ei, qui Philoſophiam naturæ volet accurate cognoſcere, hæc omnia ediſcenda cenſeo, ſed breuem etiam aliquam Medicinæ rationem, qualem Galenus deſcripſit, adhibendam, (ſi modo ſit ab ea arte alienus, & alicui ſe cæterarum diſciplinarum dediderit) vt nullam Philoſophiæ partem omiſiſſe, aut ignoraſſe videatur. At quoniam, vti ſupra retuli, Ariſtotelis difficultas interpretem requirit, adhibendi quidem ij ſunt, qui non tantum eam tollant, ſed eruditionem etiam augeant & alant. Tales ſunt Alexander Aphrodiſeus, Themiſtius, Philoponus, Simplicius, Porphyrius, alijque multi antiquorum,

quorum, ac recentiorum, quos longum eſt recenſere. Atque Alexander quidem, qui primus omnium jacentem Peripateticorum diſciplinam excitauit, & Ariſtotelis obſcuritatem, æditis Commentarijs, illuſtrare conatus eſt, diligentiſſime hujus ſenſum, & doctrinam expreſſit, niſi quod idem, ſiue Ariſtotelem ipſum in omnibus imitari cupiens, ſiue quod ejus erat ingenij, durus eſt, ac nimium difficilis. Hujus ergo in Meteôron libros extant eruditiſſimi Commentarij: omitto enim illos, qui in Topica, & Elenchos ſcripti ſunt, itemque problematum, & naturalium, moraliumque quæſtionum, & de mixtione libros Peripateticorum diſciplina omni refertos. Hunc poſtea perſequutus Themiſtius eleganter, perſpicueque libros de Phyſico auditu Paraphraſi explanauit. Quem qui legat, non magnopere ipſum requirat Ariſtotelem. Non eſt in hac parte negligenda Ioannis Philoponi Alexandrini Grammatici diligentia, qui accurate, libereque admodum quatuor priores Phyſicorum libros interpretatur (reliqui enim deſiderantur) ac duos de ortu, & interitu: quibus octo alios de mundi ortu contra Proclum ſcriptos adjecit elegantiſſimos, & Academicorum, Peripateticorumque doctrinam omnem complectentes. Simplicius etiam, tametſi prolixus

prolixus interpres,non paruam tamen Ariſtoteli operam nauauit, ſcriptis commentarijs in octo libros Phyſicorum, & in quatuor de cœlo: vtpote qui Platonis, & Ariſtotelis magnam habuerit cognitionem, & vtrunque ſummopere conciliare ſtuduerit. Sunt & interpretes alij Latini, tum boni, tum mali: ſed omnes longo interuallo Græcis poſtponendi: imo ne legendi quidem, dum illos habuerimus. Quod ſi vero quis interpretum multitudine obrutus, ac defatigatus eoſdem non putet ſibi legendos, aut magno ſaltem cum faſtidio legat: facillima mihi ſane ratio videtur, vt dum quæſtiones Phyſices ſingulas tractare, aut Ariſtotelem ipſas tractantem, legere oporteat, auctores alios, qui ea de re ſcripſerint, euoluat, vt hujuſmodi collatione rem ipſam cognoſcat,& è multis comparet judicium. Veluti ſi cum de principijs rerum, de cœlo, ejuſque motu, de elementis, de mixtione, alijſque hujuſmodi agitur, Plotini libros de materia, deque actu, & poteſtate, de cœlo, & ejus motu, Theophraſti de igne, Alexandri de mixtione aliaque generis hujus legat. His cognitis, Plato tandem adjungendus eſt,qui longe quidem maturius exercitatiuſque ingenium requirit,vtpote qui diuiniora, magiſque recondita Philoſophię tractet myſteria. Hunc quanquam à Philoſopho-

rum

rum vulgo reijci, legique rarius videam, tamen ita cenſeo neceſſarium eſſe Philoſopho futuro, vt ſine illo perfectam ejus diſciplinę notitiam habere poſsit nemo. Etenim nec ipſemet Ariſtoteles commodè, ignorato Platone, intelligi poteſt, cum eadem ferè ſint vtriuſque decreta:& in Platone quaſi fontem Ariſtotelicorum ſcriptorum liceat intueri. Adde quod & medici Hippocratem, aut Galenum vt intelligant, Platonem debent adjungere : cujus videant in ijs duobus auctoribus imaginem expreſſam : ſiquidem vt Galenus in lib. de vtriuſque decretis refert, Hippocratem eſt Plato in pleriſque imitatus,& Galenus Platonem vbique ſequitur , Ariſtotelem verò nunquam. Quid, quod Theologi antiquos omnes patres, vt Baſilium , Gregorium Nazianzenum , Auguſtinum Platonis diſciplinam amplexos animaduertent : id quod ex Auguſtini ipſius de Civit. Dei libris planum eſt. Nec verò hic docere opus eſt, quantò magis Platonis dogmata cum religione noſtra conſentiant, quam aliorum Philoſophorum, quando id eſt copioſè à Beſſarione doctiſsimo in libris aduerſus calumniatorem Platonis diſputatum. Ergo in Platone legendo, qui à vulgi ſenſu maximè diſceſsit, & abditiſsima quæque, ac diuina eſt contectatus, magna vti opus eſt cautione, tum

N obil-

ob illius difficultatem, tum quia oro alio-rum ſententiam ſuam dicens, quid ſentiat, ferè ſemper occultat. Quamobrem & nos noſtris in Timæum commentarijs commu-nem quandam Platonicorum dialogorum rationem præpoſuimus: qua cognita, quaſi viam ſtudioſi habeant præmunitam. Plato-nis verò ipſius de natura diſputatio potiſ-ſimùm in Timæo, Parmenide, & Sophiſta continetur, in alijs vero locis ſpaiſim. Quo-circa vtile admodum erit, Alcinoi, & Apu-lei de Platonis doctrina libros legiſſe, vt co-gnitis ijs, accedant ſtudioſi magis inſtructi. Adde his Plotini libros, ac Procli commen-tarios, fragmentaque illa Iamblichi, & Por-phyrij, quæ extant, tum Plutarchi libellos quoſdam, qui Platonica dogmata ſparſim comprehendunt: quales ſunt ij de animi ge-neratione ex Timæo, de Platonicis quæ-ſtionibus, aut Marſilij Ficini, ac Beſſarionis virorum doctiſſimorum ſcripta. Quæ om-nia præter Platonicæ diſciplinæ cognitio-nem multarum rerum afferre poterunt eru-ditionem. Ac de Philoſophiæ naturæ ſtu-dijs, lectioneque auctorum hæc ſatis. Huic adjuncta eſt hiſtoria de anima: in qua om-nium artium, & ipſius Philoſophiæ origo eſt poſita. Quam ipſam plerique antiquo-rum, ac recentiorum nonnulli præclaris li-terarum monumentis mandarunt: vt Ari-

ſtote-

ſtoteles in tribus libris de anima,& ijs,quæ vulgò Parua naturalia nominantur: Plato in Timæo, Phædone, ſparſimque aliàs: tum Alexander Aprodiſæus,ac Ludouicus Viues,qui hac in re illis non eſt inferior. Atque de anima quidem Ariſtoteles:quem initiò cunctis legendum puto ita ſcripſit, vt eius vires, & actiones accuratiùs, quàm eſſentiam deſcripſerit. Nam in primo libro ſententias aliorum, vt ſolet, refutat: in ſecundo quid ea ſit, & quotuplex,quibuſque viribus prædita, oſtendit: in tertio internas animi, humani præſertim, vires enumerat. Porro in libello de ſenſu, reque ſenſili eandem ferè rem,quam in ſecundo illius operis libro tractat, id eſt, ſenſuum exteriorum obiecta, varietatem, ac vires. In alio vero libro memoriæ, ac recordationis cauſas exponit: In alio ſomni, ac vigiliæ animalium: In alio rurſus ſomniorum: è quibus quia nonnulli diuinationem petunt, eadem quoque de re alio in libro diſſeruit. Exponit item in reliquis vitæ, ac mortis, & horum longitudinis, & breuitatis cauſas, tum ſenectutis, & iuuentutis, mox reſpirationis, vltimo animalium motionis, & inceſſus. Quæ omnia cum Ariſtoteles in ſecundo libro de anima explicanda ſuſcepiſſet, ſeparatis voluminibus maluit deſcribere, quam in vno breuiter, & obſcurè. In hos libros

Themiſtius, Philoponus, Simplicius, atque alij ſcripſere: ſed omnium optime Themiſtius, ſi Ariſtotelis intelligentiam requiras. Quibus addendi eſſe videntur tanquam interpretes Theophraſti de Phantaſia libellus cum ejuſdem interprete Priſciano Lydo: Alexandri Aphrodiſei libri de anima, & naturalium quæſtionum: tum Gregorij Nyſſeni de homine libri, aut ejus compendium à Nemeſio Philoſopho deſcriptum: itemque Ludouici Viuis, qui ordine, perſpicuitate, copiaq; omnes in hac parte ſuperauit. Sunt & à Platone de anima ſparſim in ejus ſcriptis permulta explicata: vt in Phædone, Menone, libris de republ. & legibus: ſed eadem omnia diligentius in Timæo traduntur. Quam ad rem, ſi Platonicam velis diſciplinam tenere, Plotini libros de animi eſſentia, & dubijs, Porphyrij, Iamblichi, Proclique fragmenta addantur: quæ tametſi ex inſtituto Platonem non interpretentur, eaſdem tamen res tractant, & continent. Nam Plotinus auctor breuis, & conciſus Platonicam vbique docet diſciplinam. Eandem illuſtrauit Proclus, ſed diffuſe, tamen ut magna rerum varietate poſſit lectorem delectare. Cujus ſi Theologia, (quam ſe mihi habere dixit aliquando D. Diegus Hurtadus Mendoza ſumma vir eruditione, ac nobilitate illuſtris Caroli V. Cæſaris apud

Rom.

Rom. Pontificem legatus)extaret,magnam profectò Platonis ſcriptis lucem afferret. Sed hanc rem eleganter, doctèque Marſilius Ficinus in libro deTheologia perſequutus eſt. Tranſeo ad Philoſophiæ partem alteram, quam priſci omnes Theologiam, Metaphyſicam vulgo nunc appellant. Eam, ſi veritatem doctrinæ quæras, nullam eſſe aliam,quam Chriſtianam putare debes,cum hæc diuinarum rerum notitiam verè, perſpicuéque tradat. Sed quia illam Philoſophicam ad eruditionem non inutilem fore arbitror, danda quidem eſt opera, vt ipſam noſcas diligenter, non vt ei fidem aliquam habeas. Hanc multi diuerſis voluminibus complexi ſunt, vt Ariſtoteles in libris, qui Metaphyſicorum vulgo inſcribuntur, ac diſcipulus eius Theophraſtus in libello ea de re, Plato in Parmenide, ac Timæi priori parte,atque Epinomide,locisque aliis,Triſmegiſtus in Pimadro, & Aſclepio, longéque poſt hos Plotinus, ac Dionyſius Areopagita: qui tametſi Chriſtianus, Platonicus omnino eſſe videtur: tum Pſellus in libello de Dęmonibus, Iamblichus, Proclus, atque è Latinis Marcus Cicero in libris de Natura Deorum, & diuinatione,denique Platonici omnes, qui ſtudioſè hac ſunt in arena verſati. Nam Ariſtotelis de Philoſophia Prima libri, quos Alexander interpretatio-

ne illuſtrauit, excepto duodecimo, nihil ſanè tanto titulo dignum habere mihi videntur: quippe qui vocabulorum interpretationes, ac diſputationes eaſdem, quæ in Phyſicis ſunt, atque in libris de cœlo, contineant. Quo nomine à Platonicis cenſeo Theologiã hanc antiquorũ petendã, non ab Ariſtotelicis, qui eam minime attigere, naturalium rerum tantummodo inquiſitioni intenti. Cum enim hanc Platonici, diuinarum in rerum contemplatione poſitam putaſſent, quidquid de Deo potuit ab homine peruestigari, attigere. Docent id Plotini libri de tribus eſſentijs, de vno, & bono, de ideis, de animarum deſcenſu in corpora, Trimegiſtus in Pimandro, & Aſclepio: in quo manifeſtam hiſtoriæ Moſaicæ imaginem intueri poſſis: poſtremo reliqui Platonicorum libri de Deo, genijs, animis, rebuſque alijs hujuſmodi incorporeis conſcripti: qui tametſi magna ſunt ſuperſtitione, atq; errore gentium referti, ſummam tamen antiquitatis memoriam, & cognitionem parere potuerũt. Sed jam ad poſtremam Philoſophiæ partem accedam, quæ verſatur in hominum moribus inſtituendis, cujus eſt magna in omnes vitæ partes vtilitas, ac neceſſitas. Hanc itidem diligentiſſime Peripatetici, & Academici literis prodidere, diuerſa tamen ratione. Illi enim vulgo ſeſe accommodantes, vulga-

vulgaria, & neceſſaria vitæ vſibus præcepta tulerunt: hi vero, vt ſolent, reçondita quædam conſectati diuinitatem quandam affectarunt. Itaque major in hoc eſt peripateticorum ſcriptorum vſus, quippe cum vitæ communi, atque hominum moribus ciuilibus magis congruant. Et profecto cum tres in partes hæc tota morum philoſophia diuiſa ſit, in Ethicen, Oeconomicen, ac Politicen, ſingulæ peculare ſtudiũ, atq; ordiné deſiderant, ſingulæq; ſuos habent auctores. Et cum Ethice, quę in vnius hominis inſtitutione verſatur, de his diſſerat potiſſimum: de ſummo bono, de affectibus moderandis, de virtutibus, de vitijs, Ariſtoteles, (quem in hac parte legendum quoque arbitror primum) eadem in Ethicorum libris ad Nicomachum filium, & ad Eudemum, ac in Magnis moralibus, & libello de virtutibus complexus eſt. In quibus omnibus eadem cum ſæpe tractet, & inculcet, Ethicorum profecto liber ad Nicomachum præferendus eſt alijs perſpicuitate, copia, & doctrina. Cui tamen interpretationis inſtar addendi reliqui videntur, vt cum eandem rem varijs modis tractari videamus, collatione facta, quid auctor ſentiat, intelligamus. Atque vt res ordine progrediatur, primus Ethicorum ad Nicomachum liber, qui eſt de ſummo bono (cui primus etiam ex noſtris

reſpondet) legendus videtur vnà cum decimo ejus operis, qui eandem continet diſputationem: idq; adhibitis Euſtratij commentarijs, quando nulli extant alij meliores. Atque etiam ſi meo quiſquam conſilio vti volet, vt collatione auctorum diuerſorum, qui eandem rem tractent, cuncta melius intelligat: adhibeat Platonis Philebum de ſummo bono, Senecæ libros ea de re, ac Plotini, & Ciceronis de finibus bonorum, & malorum. Iam quia reliqui Ariſtotelis libri à primo vſque ad nonum virtutis, ac vitiorum rationem exponunt, ita ſunt legendi, vt cuique tractationi auctorum reliquorum diſputationes, ea de re latè diffuſę, diſtincte, conuenienterq; accōmodentur Itaq quoniam imprimis quæri ſolet, virtus ne ſit docenda, nec ne, id è Platonis Menone, Plutarchi libello de morum virtute, atque ex alio titulo ejuſdem rei inſcripto petendum eſt. Tum quia variæ virtutis partes ſunt, variaq; officia, vt nos diffuſè in compendio Ethices noſtro docuimus, eadem apud auctores diuerſos legenda erunt : vt apud Platonem, Xenophontem, Epictetum, Plutarchum, Senecam, Ciceronem: ea tamen adhibita diſtinctione, ut diſputationem vnamquamque de moribus apud ejuſdem auctores diuerſos requiramus. Veluti ſi de amicitia ſit agendum, ad Ariſtote-

lis

lis octauum, ac nonum librum Ethicorum accedent Lyſis Platonis, Ciceronis Lælius, Plutarchi libelli, de amici & adulatoris diſcrimine, de commodo ex inimicis capiendo, de amicitia in multos diffuſa, aliorum denique ſcriptorum libri, qui ea de re benè ſcripſiſſe feruntur. Idem erit in alijs tractationibus efficiendum: quarum diuerſos inueniet diligens lector auctores. Sequitur altera Moralis ſcientiæ pars, quam Oeconomicen, id eſt, familiarem appellant. Hanc in libello ea de re Ariſtoteles, ac Xenophon ſcriptis mandarunt: nam Plato in Ciuili dialogo eam à reliquis duabus partibus minimè ſeiungendam putauit, & idcirco eam locis diuerſis ſparſim complexus eſt. Ad hanc pertinent Plutarchi præcepta connubialia, ac liber de filijs inſtituendis, Platonis Hipparchus, qui eſt de quæſtus ſtudio, ac cætera omnia, quæ Domeſticis de rebus ſcripta videantur. Reſtat pars tertia, quam Politicen, id eſt, Ciuilem nominant: quam Ariſtoteles abſolutiſſimè octo libris de rep. complectitur, atque eo prior Plato copioſiùs in Ciuili ſeu de regno, & in duodecim de rep. & legibus libris, Plutarchus in Politicis, ac lib. de principe, Xenophon in Cyripœdia, aliique auctores permulti. Atque hoc ſanè in Philoſophiæ genere, quod eſt in humanæ vitæ moribus, & conſuetu-

dine poſitum : magna hiſtoriarum, & anti-quitatis, morumque gentium diuerſarum notitia poſtulatur, in quibus exempla vitiorum, ac virtutum intueri, agnoſceréque liceat. Nam qui nonnullis eſt propoſitus Philoſophandi finis, vt vel de moribus diſſerentes præcepta omnia referant ad contentioſas ſcholæ diſputationes, is mihi profectò ridiculus videtur, cum nullum diſciplinæ genus quietius, aut popularius eſſe debeat, quam hoc ipſum de moribus. Quod ne prolixa diſputatione demonſtrem, argumento eſſe poterunt antiquorum Philoſophorum ea de re ſcripta plurimis exemplis, & varietate rerum referta. Quàm enim frequentibus Plato vtitur exemplis, & ejuſdem aduerſarius Xenophon? quam denique plurimis Cicero, Seneca, & Plutarchus, cæterique omnes? Nec vero hic opus eſt docere, quemadmodum ſint hiſtoriæ legendæ, aut quo ordine, quóue conſilio, cum id à meo ſit inſtituto alienum. Illud obiter admonuiſſe ſit ſatis, ita eſſe hiſtoriam legendam, vt temporum, factorum, locorum, perſonarum, euentuumque habita ratione, quę plurimum adiuuant memoriam, cuncta in communes quaſi locos conijciantur, è quibus vt è penu, cum opus ſit, exempla proferantur. Quod ipſum Valerius Maximus, cæterique omnes, qui exem-